



JURIS NATURALIS DISPUTATIO;

DE

**HOMINE INNO-
CENTE NON OCCI-
DENDO,**

QUAM

DIVINA ADJUVANTE GRATIA
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS CONSENSU
IN

ILLUSTRI REGIOMONTANA
REGIA UNIVERSITATE

PRÆSIDE

JOHANN. Mamseln / U. J. D.

Publico Ordinari, Profess.

Disquisitioni eruditorum placida subjicit

IN AUDITORIO MAJORI

CHRISTIAN. Gottlieb Koenigsht /

Regiomont. Pruss.

AUCTOR.

D. 16. Jul. A. MDCCXVI.

REGIOMONTI, Literis REUSNERIANIS.



Gr. 77. num 20.

1716, 1

10

4410

P 440.



INCLYTÆ
REIPUBLICÆ GNIPHOVIANÆ
DOMINIS
CONSILIARIIS GRAVISSIMIS,
VIRIS

*Prenobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, multoque
rerum usu ac prudentiâ maxime
conspicuis,*

DN. CHRISTOPHORO ÆGIDIO Nägelein/
Consiliario Aulico & Consuli meritissimo,

DN. JOHANNI Thamm / Pro-Consuli.

DN. CHRISTOPHORO Seffler /

DN. CHRISTOPHORO Krüger /

DN. VALENTINO Polickein /

DN. BERNHARDO Albrecht /

DN. HENRICO Paschke /

DN. JOHANNI HEINRICO Reußner /

DN. HENRICO Hahn /

Ut &

DN. MELCHIORI Lübeck / Secretario fidelissimo.

*Summis Patronis & Promotoribus suis
certissimis,*

Primitias hæc Academicas in grati animi demonstrationem
& ulteriorem sui studiorumque suorum commendatio-
nem offert AUCTOR

CHRISTIAN Gottlieb Krongehl.

B. L. S.



Iraberis fortè rubri argumentum , ceu
 vile & notum cuique , adeoque cathe-
 drâ indignum : Sed mirari desines ,
 nigrò ubi lectò subintellexeris , idem
 dubitandi non desitui rationibus , nec
 ab infimi nominis & famæ viris intre-
 pidè asseri , publicæ salutis , propriæ
 vitæ defensionis , aliisque causis concurrentibus , do-
 lô tantùm aut pravò animi consiliò absente , *innocentes*
licere occidere , cædemque istis in casibus à superiori aut
 privatò procuratam , salvâ pietate & conscientiâ , fal-
 visque officiorum regulis non excusari solum , sed ex
 omni parte , adeoque perfectè licitam , imò & suo
 modò necessariam esse , ejusque justitiam non difficul-
 ter ex prudentiæ Juris Naturalis monstrari posse præ-
 ceptis : Rationalem hominum naturam , dum cuique
 propriæ commendat , imò præcipit vitæ custodiam ,
 inque amorem sui quemque incitat , minimè censerì
 media , huic fini inservientia , denegare ; indeque il-
 lam , quæ est ad amorem sui ipsius obligationem , haut
 permittere , ut quis innocentis vitam relinquat sal-
 vam , perdat verò propriam : Interulam stringere ma-
 gis , quàm tunicam , hanc esse potiore palliò & ge-
 nu propius tibiâ ; per indirectum hîc homines ad id ,
 ad quod directò nullum habent , jus consequi : Cæ-

A

dem

dem non eligi ex proposito ad nocendum directo, sed pro propriae vitae tutamine, & periculi evitacione, innocentique quicquid obveniat inde mali, non læsionis, sed meri infortunii mereri nomen: Concurrente publicæ utilitatis, ceu supremæ legis, ratione non innocentis unius, sed omnium vel plurium esse habendum respectum, privatique unius utilitatem, aut vitam publicæ utilitati, aut plurium vitæ longè fore postponendam. Præstare, ut unus, quamvis innocens, pereat, quàm universitas aut unitas periclitetur: Rebus sic sæpe ferentibus, vitam neque custodiri, neque nos salvos esse posse, nisi mediò imminens evadendi periculum per innocentis cædem & interitum quæsitò. Prodiit indè in vicinò Gymnasiò A. 1708. Disputatio de *Licitâ innocentiam cæde* inscripta, nostris assertionibus & conjecturis, quas pro *hominis innocentis vitâ*, proque ipsius innocentiae largissimò tuemur favore, non parùm adversâ. Sed cuique liberam ut sentiendi relinquimus meritò libertatem, ita non minùs eâ lætamur certâ spe, fore, ut nec eam sint alii nobis invisuri, aut laturo iniquius, si salvâ illorum auctoritate dissentiamus modestè, Veritati & justitiæ litantes, neque hominum præjudiciis, sed rationibus pugnantes, cessuri spontè, ubi edocti meliùs & rectiùs. Ipsi dissentientes vitæ amorem & custodiam immane quantum tollunt, sed re exactiùs perpensâ, quod pleniori indulgent manu parti uni, id eò audaciùs alteri & innocenti subtrahunt. Quò jure, quâvis conscientia quis per *innocentis interitum* vitæ suæ quærere possit

fit custodiam, hætenùs non consequimur: Periculum ipse effugere cupit, & alteri innocenti majus conciliat: Vivere, & vitam conservare justum & pium est, sed per *innocentis vivere velle mortem*, indecens & inhumanum. Vita nec minùs publica cuique est custodienda, & promovenda salus, sed, ut omninò arbitramur, mediis, honestati, & pietati congruis. Sævum est bellijus, & in hostem, uti dici solet vulgò, licent omnia: annon tamen moratiores gentes hucusque à quibusdam, ceu illicitis, ad nocendum tamen, & perdendum hostem magis, quàm ferrum & ignis, aptis abstinerunt? belli jure & iis usuræ, nisi docente humanitatis ratione intellexissent, se rectiùs, si abstinerint, facturas, pudore, quod non lex fieri vetat, sæpe vetante, nec omni eò, quod licet, aut extra legis pœnam est, honestò existente & piò. Hæc atque alia plura in contrariam, eamque benigniorem, nos traxerunt sententiam, argumentoque præsentì pro *avertendâ innocentium cade* dederunt occasiõnem. Ubi B. L. non singula pro tuò sunt deducta placitò, veniam dabis & excusabis. Quò verò, quod suscepimus opus, procedat feliciter. DEi ter Optimi, terque Maximi imploramus auxilium, adsit idem conatibus nostris nunc & porrò.

A 2

CAP.

CAPUT I.

Verborum in rubrô occurrentium
explicationem continet.

§. I.

*Hominis nomine
qui veniant.*



Um *verborum* prior, *rerum* autem potior sit habenda ratio, de *Homine innocente non occidendô* acturi, non immeritô in antecessum circa *verborum* in *rubrô* occurrentium explicationem sumus solliciti, notamusque *primô*, voce *Hominis* quemcunque, sive masculus, sive fœmina, sive inferior sive superior, servus, sive liber, infans, juvenis aut senex, integrô & sanô corpore, aut ratione, sive non, aut parûm utilis, v. g. mutus, surdus, claudus, valetudinarius, furibundus, jam natus, sive adhuc sit in uterô maternô constitutus, contineri, non enim propter utilitatem, dignitatem, præstantiam sexus, aut aliam qualitatem ab hominis temperandum esse occisione, sed propter innocentiam, humanitatem, & defectum potestatis in vitam innocentis. Jure & in statu naturali omnes, qui humanâ gaudent naturâ, quia ex iisdem seminibus orti, eodém fruuntur cœlô, æquè spirant, æquè vivunt, æquè moriuntur, sunt æquales: Imô & in mediâ qui vivunt civitate, in statum naturalem sæpè redeunt: Neque istam æqualitatem, humanitatem, aut naturam communem ipsa à civitatibus introductis orta tollit inæqualitas. Sicut est nefas, hominem natum privare vitâ, ita non minus est injustum, spem hominis extinguere, aut nascentem disturbare animam, sive ex legitimo matrimonio, sive ex adulteriô, aut aliô coitu illicitô nasciturus partus. Conf. Carpzov. p. 3. *ver. crim.* Q. 118. n. 54. Harpr. ad §. 5. J. de publ. Jud. n. 7 seqq.

§. II.

§. II.

Excludimus *animalia bruta*; illa licitè, solius hominis interfectionem naturâ prohibente, mactamus. Puffend. *d. off. hom.* & *Civ. L. 1. c. 12. §. 1.* modò absque causâ aut utilitate in eadem, ceu innoxia, non sæviamus, aut eorum cruciatu nimio, & dolore non delectemur, quod justitiæ videtur excedere terminum, cum *suum* sub modò animatis etiam aliis debeat creaturis. Brunn. *ad L. 1. ff. de Justit. & Jur.* Hedin. *in consp. Natur. Jurispr. univ. tit. 8 p. 2. sect. 2. p. 70.*

Bruta excluduntur.

§. III.

Quod *Monstra* attinet, est cum iis non commiscendum *ostentum*; hujus appellatione omne præter aut contra naturam genitum, quod formam quidem habet naturalem hominis, ex abundantia tamen, vel defectu materiæ in aliquibus membris deforme factum intelligimus, ut sunt: biceps, bicorpor, trimanus, unimanus, longimanus, sedigitus, androgynus sive hermaphroditus &c. sed *monstri* nomine, cum quid contra formam humani generis, & alterius magis generis, aut animalis nascitur, capimus, v. g. capite asinino, canino, aut leporino, legibus civilibus *L. 14. ff. de Stat. hom. l. 381. 135. ff. de verb. signif. contententibus.*

Non ostenta, nec simpliciter monstra.

§. IV.

Cum *Ostentum* ratione & animâ non sit destitutum, nec *hominis jure* excludi debet. Unde qui bicipitem, aut sedigitum &c. vel alia aliquâ corporis parte carentem occiderit, haut dubie scarius est, & capitis supplicio afficiendus. J. C. Wilsenb. *ad l. 38. ff. de verb. signif.* non male censente, damnanda est lex *Aristotelis*, quâ *mutilum tollere & educare vetuit*. Non desunt, qui & *monstrum* occidentem, ut *homicidam*, puniendum esse asserunt à J. C. Stryckio *in usu Pand. ad tit. de Stat. hom. §. 15.* citati: Quibus alii contradicunt, asserentes, antiquissimo *Romanorum* non tantum jure ex *LL. XII Tab. ib. monstruosos partus sine fraude cedunt*, licuisse partum occidere monstruosum. Me-

noch

A 3

noch. d. arbit. Judic. Q. c. 491. n. 27. sed & alias gentes, v. g. *Baravos*, eodem uti, & usas esse jure. conf. *Wissenb. all. l. Grotius in Introd. ad Jurispr. Holland. L. 1. p. 3. ib. men is in dese Landen gewoont deselve ter Stont te smoren.* Imperatorem *Mauritium* suo tempore monstrum interfici præcepisse, hocque ab *Ecclesiâ* approbatum esse, ex *Nicephoro* refert *Gædd. ad L. 38. n. 16. ff. de V. signis.* Alii inter monstra ex *bestiali congressu*, & ex *humanò sanguine* orta, distinguunt, illa, ut horreni sceleris memoriâ extingvatur, occidi posse, hæc magistratus judicio, an *aliqua humane rationis signa*, propter quæ in eorum necem consentiri non possit, appareant, committenda esse, nullisque signis apparentibus, auctoritate magistratus pariter occidi posse arbitrantur. Sed quid si & ex *bestiali fortè congressu* ortum rationis præbeat signum? (quemadmodum ex *bestia*, v. g. *vaccâ homines* aliquando ortos *Happelius in Relat. Curios. Tom. 3. p. 399.* sub titulo: *das mit einem Hund gezeugete Kind* / refert) ob alterius delictum id, si homo est, haut est occidendum. Imò, quamvis ratione carentia monstra auctoritate Magistratus citra peccatum occidi possint, annon tamen meliori iis jure, quia in bruta præter causam etiam sævire hominem non decet, parcatur? aliis trutinandum relinquimus. A quâ sententiâ *J. C. Stryck. tit. all. abluere* non videtur, quando subjicit: *Justò DEI judicio hæc monstra in orbem prodeunt, non rarò monstrantia, qualia in orbe grassentur peccata. Atqui verò quò jure, que humanò sanguine creta, & quibus vitam DEUS indulsit, è vivis tollentur, cum & hic sanguinis humani profusio contingat.* Multa sæpè rationi nostræ apparent confusa & injusta, quæ tamen nos decet mirari, laudare, & absque serutatione acceptare propter id ipsum, quòd incognita, & incomprehensibilis sit *Divina Providentia.* Illud constat, quò casu *Christianos* inter baptizantur monstra. conf. *Disp. J. C. Lynckeri A. 1685. Jene de Baptismo c. 1. §. 4. & Disp. J. C. Rangeri hic Regiomonti A. 1687. de jure Baptismi habita c. 2. §. 18. eò nec occidi posse.*

§. V.

Notamus *secundò*, vocem *innocentis* non intelligi melius quam cognitâ oppositâ voce *nocentis*. Nocens est qui lædit, damnum rebus aut vitæ inferendo, pacemque turbando, sive propositum & dolus concurrat, sive absit & deficiat: Etenim si furiosus, si summe ebrius &c. gladiò strictò vitam innocentis adoriatur, est habendus omnino nocens, & hostis instar, ut liceat invasò etiam cum furiosi & ebrii internecone se defendere, si falvus alias esse non possit. conf. *cap. seq. §. 5.* Licet, quod concedimus, major sit in eò, qui ex proposito nocet, malitia, quàm qui actu tantum, sed consiliò & proposito carens, eòque respectu innocens. Contra *innocens* thematis nostri est intuitu, non qui leviter, sed, qui nil, aut minimè nocet, carens culpâ, alias innocuus, innoxius, insons, inculpatus, crimine purus, *unschuldig* / nocendi tamen viribus haut destitutus, sed honestatis virtutisque amore à læsione abstinens pacatèque se gerens, præprimis intuitu illorum, à quibus nunc vult vis, violentia aut cædes inferri. Hic, qualis contra alium se gerit, tali modò alterum se adversus illum gerere oportet, ne, qui non lædit, meritum præter lædatur, aut occidatur. Multo magis innocentia favore dignus & omni à læsione tutus esse debet & violentiâ is, qui actu non nocet, sed & insuper consiliò & proæressi ad delinquendum necessariâ est destitutus, adèdque, ut ita dicamus & consiliò & actu ipsò existit prorsus innocens: Infantem, aut huic comparandum intelligimus, quem lædere, aut occidere est eò injustius, quò minor ab eòdem est timenda violentia: Ubi virgis aut verberibus aliquando excipitur infans, non fit id pœnæ, sed emendationis causâ. tradente Puff. *de J. N. & G. L. i. C. i. §. 5.*

§. VI.

Tertiò contemplamur verbum *occidere*, quod modò proprie, modò improprie & generaliter accipitur, quò in significato ultimò est *occidere* idem, quod vitæ proximi, aut alterius quòvis modò incommodare, aut ægrè facere, sive istud fiat affectu,

Quid verbum occidere denotet.

ctu, gestu, dictis, factis, vel aliò quòcunque modò. conf. J&I Thomafii *Disp. A. 1699, Hale Magdeb edita de Homicidio Lingvæ*. In propriâ, & strictiore significatione pro eâ læsione, quæ fit *in vitâ*, capitur, estque *occidere* idem, quod vitam eripere naturalem, aut animam, sive illa violenta amissio & ademptio directò & immediatè, sive mediatè per falsum testimonium, falsas accusationes, injultas condemnationes, incantationes, ad mortem traditiones &c. &c. aut aliis modis ad interneccionem hominum directis contingat; quò in significatu verbum *occidere* præfenti vindicamus themati, arbitramurque cum hujuscemodi occisione, aut directâ læsione, *non factam hominis innocentis conservacionem*, ubi ille in casu necessitatis extremæ lervari haut potest, de quò *infra* pluribus, non esse confundendam.

CAPUT II.

Tradit genuinum intellectum regulæ de nemine lædendò.

§. I.

Regula, Neminem læde, est universalis.



Omnis regula, *neminem esse lædendum*, meritò omnis juris habetur compendium. Ex eâ omnes istò nomine verè gaudentes leges originem trahunt, inque eam rursus omnia ferè solvuntur præcepta. Quid univèrsa Juris Civilis compages aliud, *quàm neminem esse lædendum*, inculcat; unde non immeritò inter primas juris cuique hominum, ceu cynosura exactè custodienda, est relata regula, quæ vetat, *ne quisquam lædatur*: non erramus, ubi tuemur sub eâ totum ferè jus naturæ contineri, conf. Gundlingii *Via ad veritatem p. 3 c. 2. §. 18.* qui neminem lædit, is non minùs honestè vivere, suum cuique tribuere, & reliquas J. N. Regulas implere solet.

§. II.

§. II.

Progredimur ultrà, & asserere non dubitamus, omnia bona, quæ hominibus in Republicâ contingunt, ex hujus præcepti observatione, ut alia eidem per se insint, alia verò per bonam conclusionem crui inde possint, ceu fonte, fluere & derivari. Deducuntur ex eò præcepta tam *affirmativa*, quæ bonum s'vadent faciendum, quàm *negativa*, quæ malum intermittendum esse jubent. Hujus *unius præcepti* observatione & executione ut societas humana conservatur, ita ejusdem neglectu & solutione ipsa diutius consistere nequit, sed ut corruat, & solvatur penitus, necesse est; Licet socius sit fur, sit latro, sit omnium hominum nequissimus, perjurus, pestis, omnium reliquorum pernicies, modò mihi ab ipsò nulla sit orta injuria, ut ait Terentius *Adelph. Act. II. Sc. 1. vers. 35.* non tamen ipsa statim cessat, aut dissipatur socialitas, aut pax, vel jura ejus cessant. Ast cum eò, qui lædit, qui nocet, qui eadem molitur, pacificè vivere non licet: Natura cuique tam tenerum amorem sui, rerumque suarum, inferuit, ut non possit non omnibus repellere modis eum, qui noxam inferre aggreditur, optimè observante & deducente Puffendorff. *de J. N. & G. L. 3. c. 1. §. 1.*

§. III.

Quânquam autem optima hæc sit vitæ regula, eademque *Etiam verum* facillima, *nudâ actionis intermissione* constans, variè tamen *prohibetur læsio.* eam contra peccatur; imò quò ipsa est latior, & complectitur plura, eò plura contra ipsam committuntur; nemo invenietur hominum, qui se à neminè læsum gloriari poterit. In *interpretatione* hujus *regule* alii *deficiunt*; alii contrà *excedunt.* Illorum ingrediuntur numerum, qui eam de prohibitâ & illicitâ læsione eorum, quæ nobis immediatè natura concessit, v. g. vitæ, membrorum &c. tantùm explicare præsumunt, reliqua verò, quæ homines possident bona lædentes eam non transgredi assentunt. Est vita mortalium per bona sustentanda, qui itaque iis privat, conservationem impedit, atque sic certè lædit, hostili-

B

ter

ter agit, atque quietem turbat, quare rectè Puffendorff. inquit *L. III. de J. N. & G. c. 1. §. 1. quòcunq; titulò aliquid nostrum est, hòc præceptò idem auferrì, corrumpi, lædi, usibus nostris ex totò aut ex parte suberabi prohibetur.*

§ IV.

*Non tamen facinorosorum co-
ercitio, nec de-
fensio contrain-
vasores.*

Excedunt, qui præcepti hujus applicationem eò exten-
dunt, ut nec nocentes lædere aut occidere permittant v. g. Ma-
gistratui, ut *capitis supplicio plectat facinorosos*; Hic, ut finem
officii sui obtineat, puniendo aut capitis pœnam infligendò, non
lædit, sed eò ipsò impedit, ne *innocentes* lædantur, & ne mali
impunè malum faciant bonis, utque innocentes adversus læso-
res defendantur, nocentes verò & alii metu pœnæ à læsione ab-
sterreantur. Nec minus excedunt, qui *hostem & invasorem*,
nostri læsionem intentantem, à nobis lædi posse negant, defen-
sionem quidem, quatenus sine læsione ejus sit, licitam agnoscen-
tes, sed quatenus cum pernicie lædentis conjuncta est, regulæ,
quæ *neminem* svadet lædendum, adversam eam esse contententes.
Alii *forum inter poli, & forum soli*, aut inter *facti impeccabilita-
tem & impunitatem* distingventes, in illò licitam, in hòc verò,
id est, in *conscientiâ*, invasoris occisionem prohibiram esse asse-
runt. conf. Auctores ab Osiandro ad Grot. *L. II. de J. B. & P. c. 1.
§. 3.* citati. Sed *forò* in utroque non tantùm *licitam*, sed etiam *jure
præceptivò* ob vitandam *ἀντιρρητικὴν* injunctam esse defensionem,
salvâ conscientiâ non intermittendam, pronunciare non dubita-
mus, non tam Vasquii *controv. illust. L. I. c. 18.* Puffend. *de J. N.
& G. L. II. c. 5. §. 1.* Ameshi *de casib. consc. L. V. c. 31. q. 4. n. 2.* Bœ-
cleri *ad Grot. L. II. c. 1. §. 3. 4. 5.* Valentin. Albert. *Compend.
Jur. Nat. p. 2. c. 3. §. 13.* aliorumque moti auctoritate, quàm qui-
bus nituntur rationibus, nostrâ opinione, non parùm inferen-
tibus.

§ V.

Aliquì *invasoris eadem* quidem admittunt, sed in *quoscun-
que invasores* hanc exerceri posse potestatem negant; Hinc 1. *in-
vasorem, cujus vita multis utilis est*, quasi cum ejus pernicie is,
qui

qui sibi soli vivat, sese defendere haut valeat, excipiunt. At quomodo utilitas, aut commodum alterius jus meum, aut obligationem meam me liberandi à summò incommodò absorbere, aut evertere possit, non apparet. conf. alleg. Valentini. Albert. *all. §. 13. n. 15.* Excipiunt (2.) eum, qui probabiliter, dum in facinore occiditur, damnationis aeterna periculum praevideatur incursum. Si hujus intuitu omittenda defensio, omnes indiscriminatim excipiendi veniunt *invasores*, cum quisque illorum probabiliter aeternam damnationem videatur incurrere. Rectè alleg. Alberti *all. l. mors invasi non est medium efficax acquirendi salutem proximi, efficax quidem est ad vitam ejus conservandam, sed huic praeferenda est invasi vita.* (3.) Excipiunt *infantes, furiosos*, qui *insaniâ* aut *insomniis* agitantur, qui *bona fide militantes*, *invasum alium* esse, quàm est, fors putantes, illosque, ubi *innocentes*, invadunt, ab occisione esse immunes sustinent: Sed *invasis* omninò etiam contra hos praesidio esse debet *innocentia*, quodque nullò juris vinculo sint ad id, quod alii intentant, patendum devincti, minimè ad vitam in invasorum gratiam perdendam. vid. Grot. *de J. B. & P. L. II. c. 1. §. 3.* Puffend. *de J. N. L. II. c. 5. §. 5.* (4.) Excipiunt *Principem*, ejusque internecionem *subdito* interdiciunt: personæ ejusdem singularitate, eminentiâ, aut sanctitate, occidendi aut resistendi praescindente facultatem. conf. Henning. Arnisæi Comment. politica *de auctoritate principum in populum semper inviolabili, seu, quod nullò in causâ subditis fas sit contra legitimum principem arma movere.* vid. pluribus Grotius *d. J. B. & P. L. I. c. 4. §. 7.* Osiander ad Grot. *L. 2. c. 1. §. 3.* Beckmann. *in Disp. de non abutendo nomine Principis. Francof. ad Viadr. 1680. c. 2. §. 1. & de pietate subditorum erga principem ib. a. 1679 hab. c. 2. §. 8.* Hi contra principem *defensionem*, non vim permittunt, & si idem in defensione fortè læsus, factum veniâ reputant dignum.

§. VI.

Cum lædere sit injuriâ aliquem afficere, non alius, quàm *Innocentis est inæ*
 solus *innocens*, cui soli fit injuria, sub hâc comprehendi potest, *cerditæ læsio.*
 aut debet regula; *Nocentes*, quia per delictum privilegiò immu-

nitatis se reddiderunt indignos, justissimè læduntur, quanquam id, quod patiuntur, accuratiùs loquendò, neque *læsio*, neque sit *injuria*. Innocens, quia pacatè vivit, aliis non nocendò, injuriam non meretur, ant læsionem.

§. VII.

Quem non lædere, multò minùs licet occidere.

Si ergò *innocens* non lædendus, multò minùs maximàm eum, quæ fit in vitâ, afficere læsione, seu occidere, fas erit. Qui *ἀνομιαν* committit, eò ipsò suam non minùs lædit innocentiam; lex, quæ *nullum hominem innocentem* lædendum jubet, indubitatè quoque sui ipsius excludit læsionem. Omnium verò minimè *innocentes*, ob *quascunque id eorum fiat causas*, occidere, & à statione vitæ, in quâ divinitus sunt collocati, removere licebit. Quotiescunque *innocentem* lædimus, jus, quod ab ipsâ innocentia, & vitæ Auctore habet, tollimus, illamque hominum cuique menti firmissimè innatam legem, *lede neminem*, temerè violamus.

§. VIII.

Vitæ hominum Auctor & Dominus est solus DEUS, qui benignè eandem concessit, terminumque posuit, quem, sicut prolongare non datur, ita abbreviare peccatum est; nemini libera & irrestricta in alterius vitam est concessa potestas, nemoque sibi illam eò vindicare potest gradu. Principi & Magistratui *ius vitæ & necis in subditos* illibatum asserimus, sed eorum sunt partes, *vitam conservare subditorum, non destruere & perdere, nisi ex præviò delictò vitâ se anti fecerint indignos*. Est aliud, periculo homines exponere, quamvis præsentì, aliud ad necem *sine omni vitæ* se tradere. Privato in privatum, quia sunt æquales, nil potestatis quâ *vitam* relinquitur. Oritur hinc, quia nemo alterius vitæ dominus est, defectus juris in *innocentem* ab unâ, ab alterâ verò parte defectus obligationis, ut *innocens* pro alterò ponat vitam.

§. IX.

Necessitas occisionem innocentis non reddit licitam.

Nec *necessitatis favor* insontis læsionem aut occisionem facit licitam, quâ de re pluribus Grotius *de J. B. & P. L. l. c. 4. §. 7.* & Commentatores ejus, Puffend. *de J. N. & G. L. 2. c. 6.* Idem de *Officio*

Officiò Hom. & Civ. L. 1. c. 5. §. 18. Mevius in Nucl. J. N. & G. Inspec. 7. §. 17. n. 2. Thomafius in Juripr. Div. L. 2. c. 2. §. 130. aliique agunt. Eò ferè eorum redit opinio, ut ostendant, leges tam divinas, quàm humanas tacitam habere exceptionem necessitatis, legislatorem non præsumi subjectum adigere voluisse, ut legem, si observatio ejus cum periculò vitæ suæ sit conjuncta, custodiat aut observet. Quantum ista necessitatis exceptio in præcepto de nemine lædendò operetur, paucis dispiciendum. Dividuntur communiter à Doctoribus præcepta in affirmativa & negativa, de illis quia modò dictum præceptum ad negativa, necessitatis exceptionem non æquè admittentia pertinet, res non est nobis. Pro opinionum auctorumque diversitate varia hic, quæ adducere supervacaneum, accumulatur; nobis observatio Gottl. Serh. Titii in observ. 141. n. 8. ad Puffend. de Off. H. & C. quam hisce profert verbis, arripet: Quoties susceptio actionis aliàs prohibita, est medium certum depellendi periculum, nec majus, aut æquale malum, quàm imminens necessitas, toties lex exceptionem necessitatis admittit. Contrà quoties est medium incertum, & majus, aut æquale malum, toties eam lex respuit. Apparet hinc non patrocinari exceptionem necessitatis innocentis occisionem afferentibus, aut, ut licitam, admittentibus (1.) enim mors innocentis nunquàm ferè est certum medium nostræ conservationis, eventu plerumque existente dubiò, quod ex casuum, quos in sequentibus adducemus, clarum fiet inspectione: (2.) Sapè majus, aut æquale malum infert medium removendæ necessitatis ab innocentis petitem occisione, sive ego inteream, sive alterum interficiam, læditur utrinque innocens; quare in casu quoque necessitatis à læsione, aut innocentis occisione desistendum esse existimamus.

CAPUT III.

Tradit casus, quibus regula de innocente non occidendô extenditur, licet principis, aut superioris concurrat jussus, aut publica prætendatur salus, aut prægnans causa.

§. I.

Principum potestas

Magna Principum, quos omni veneramur obsequiô, est potestas, non tamen tanta, ut eis jus *innocentem* occidendi, si libet, faciat. Relinquatur Superiori supremum in personam & bona subditorum jus illæsum & illibatum; injustitiam tamen vi ejusdem in inferiores, si justus est, exercere non affectabit, conf. Reink. *de Regim. Secul. & Ecclesiast. L. 2. Ci. 1. c. 1. & seqq.* quæ pro! major innocentis est injuria, quàm occisio, aut ablatio ejus, quod quis ceu pretiosissimum possidet thesaurum. Vi Superioritatis Princeps *nocentem*, qui mortem suis promeruit factis, justè necat; *innocentem* conservare, non morte indignâ tollere debet, nec solet bonus imperans. Ubi subditum pro vitâ, pro Republicâ, aut Patriâ conservandâ in anceps mittit periculum, v. g. milites in pugnæ frontem collocandô, & ad eam aleam subeundam subditos devinciendô, officii aut justitiæ limites non transgredit; quia hîc casu & statu spes conservationis vitæ non deficit, aut quod hosti resisti, idemque vinci, & repelli non possit: sed quis inde inferret? simili modô *innocenti* certam mortem, ad quam evitandam nulla ei, neque spes, neque remedium restat, imponere licere.

§. II.

Jus belli

Latissimè, ut notum cuique satis, se expandit *jus belli*, nihilominus tamen in illos tantum, qui vel actu nocent, vel à quibus, quia hostes inter versantur, & nocere possunt, læsio metuitur, & securitas non satis firma est, suam extendit licentiam.

Utili-

Utilitatem patriæ, & Reipublicæ procurare præcipuum tam imperantis, quam subditi officium est, minimè tamen, ut justitiæ regulæ negligantur, permittit; est salus publica, est vita civium legitimis conservanda mediis.

§. III.

Sequitur hinc, quod *innocentes directè nec jure belli occidere liceat*; horum sub nomine hic eos, qui nobis vim inferre aut non sunt in bellò directè occidendi, sunt in bellò directè occidendi, comprehendimus. Grotius quidem de *J. B. & P. L. 3. c. 4. §. 6. seqq.* sub *jure licentiæ* non tantum eos, qui actu ipsò arma gerunt, aut qui bellum moventis subditi sunt, sed omnes etiam, qui intra fines sunt hostiles, complectitur, nec peregrinos, qui ante bellum eò iverant, post modicum tempus, inter quod discedere potuerunt, nec infantes, aut fœminas, nec captivos excludit, quin & supplicium occisorum passim recenset exempla, eorumque, qui se dedere voluerunt, & recepti sine conditione ullâ sunt interfecti; sed æquitas & humanitas vix patiuntur, ut omnes fines intra constituti hostiles, eodem jure & conditione, ubi ab illis nullum damnum, nullum periculum imminet prorsus, censeantur, infantesque lædantur; Interfici ex proposito, ut non nunquam fit, in bellis nemo justè potest, nisi in pœnam aut vindictam justam, aut quatenus absque internecione vitam & res nostras tueri aliò & mitiori modò non valeamus. Vide de his & aliis, qui in bellò justè occidi non possunt, Kulpitium in *Colleg. Grot. exerc. 11. §. 5. ad Grot. L. 3. c. 4. 10. 11.* item Titium *obs. 699 ad L. 2. Puff. nd. de off. H. & C. c. 10. §. 12.* Illis, qui ex jure gentium hanc defendunt licentiam, respondet Puffend. in *Elem. Jur. Prud. univ. L. 1. def. 13. §. 25. in fin.*

§. IV.

At, quid si contingat, ut hostis *innocentem* postulet ad *re-* Civitas *innocentem*, minis de bellò civitati inferendò, nisi traderetur innocens, tem ab hoste ad *adjectis*, aut obsidione urbem jam premat ipsam, ejusque vastatio. necem postulanem penitus præ se ferat, innocente ad necem non tradidit, an, ne tum neque traderet, *innocentem postulatam* prehendere, & irato ad necem tradere, & irato ad necem tradere potest hosti? Maximè, ubi (1.) certum est, innocente non

tra-

traditò, maximum & momentaneum periculum Reipublicæ imminere, (2.) id à civitate nec vi, nec precibus, nec pretiò declinari posse, (3.) neque à vicinis ullum planè auxilium, quò ad versus periculum imminens tueri se possit civitas, superesse, (4.) hostem specialis inimicitia causâ, non ex odiò contra Rempublicam, quò ejus auxiliò in posterum ea careat, postulare innocentem, (5.) ubi de solvendâ illicò obsidione, & ineundâ pace est ab hoste data fides. Hæc non levia argumentorum genera aut pondera, quamvis non infimi nominis Juris Interpretes in *innocentis* traxerint *cædem*, à quibus nec alienus J. C. tus Struck. *in diss. Francofurti ad Viadr. a. 1673. de forò Conscientiæ c. 6. n. 102.* habita: hæsitamus tamen *duræ* subscribere *assertioni*, arbitramurq; civitatem justè refragari, *innocentem ad occidendum postulatam, tradere hosti*; omninò enim id cum tacitâ civium inter se conventionem, quâ, ut una sit salus, omnium unum & commune periculum, eligerunt, aut decreverunt, pugnare videtur. Quisque civium hunc primariò in finem se in Rempublicam, ut sibi in eâ sit benè, non verò, ut pro eâ ipse pereat, contulisse præsumitur; tradere *innocentem*, est incertum periculum evitandi medium, planeque injustum, ceu in *innocentis* occisionem directum. Vid. nobiscum sentientes Puffend. *de J. N. & G. L. 8. c. 2. §. 5.* Becm. *in Medit. polit. c. 21. §. 10.* Fernandus Vasquius *in Contr. illustr. L. 1. c. 13.* Comment. Grotii Zieglerus, Osiander, Vitriarius, Simon & c. *in Grot. L. 2. c. 25. §. 3.* & Bœcl. *ad ejusd. L. 1. c. 1. §. 6. de domin. eminentip. m. 94 seqq.* Nec obstat, quod Grotius, Struckius, aliique licitam *innocentis* deditioem asserentes regerant, *publicam salutem* non tantùm procurandam, sed & privatam esse præponendam, idem & nos tuemur: an verò illud ipsum per *illicita* media, quibus *innocentis* directè intentata annumeratur occisio, fieri possit, est, de quò valde dubitamus. Necessitas civitatem tradentem, quanquàm rursus id existimet *alleg.* Struckius *l. c.* excusare non valet, mediò enim eluctandi à malitiâ hominum suppeditatò, Thomasiò in *Jurpr. div. L. 2. c. 2. §. 148.* optimè monente, uti non licet. Differentiam inter Rempubl. innocen-

nocentem ad occidendum tantum tradentem, & ipsum interficientem, cum utroque civitas modo in *necem* cooperetur *innocentis*, haecenus adeo non cernimus, & tamen, si ab hoste postuletur, ut vel vivus, vel mortuus praestetur innocens, ipsi dissentientes turpe mandatum existimant, ut civitas nec obligetur, & parere nequaquam debeat.

§. V.

Illa quaestio: *An Civitas talem innocentem postulatam, ut se ipsum hosti ad necem tradat, constringere possit?* ab ea videtur dependere, *an civis innocens pro salute civitatis se ipsum teneatur tradere hosti?* Ad quod quis non tenetur, ad illud nec cogi potest, & contra. Concedimus quidem, posse innocentem pro Reipublicae conservatione ad interitum se tradere; cum, Horatio canente, dulce & decorum sit, pro patria mori; sed quia innocentes pro patria semet tradere ultrò possunt, aut, quia Curtius, M. Scævola, Codrus, aliique periculum pro patria laudabiliter sustinuerunt, malè infertur, ergò idem omnes facere tenentur; Nemo ad exitium, nemo ad poenam, nisi praecedente culpa aut delicto, se tradere tenetur. Vid. Osiand. *loc. in §. praec. not.* Salutem Reipubl. quisque quidem quaerere debet civis, non tamen cum damno vitae suae certissimo & ineluctabili; Rempublicam quisque, ut sibi sit in ea bene, eligit, ut supra jam notatum. Vid. Vasquius & Ziegl. *Loc. supr. not.* Concludimus itaque contra Amesium *L. 5. de Cas. consc. c. 31. §. 3.* Groetium *L. 2. c. 25. §. 3.* Kulpisium in h. l. aliosque, innocentem, ut se ipsum hosti interfecturo tradat, à Republica cogi non posse; ad illa, quae spontè suscipiuntur, nulla est obligatio, praefertim, ubi nulla dari potest compensatio, ut in memorato modo casu, vid. pluribus Becman. *Medit. polit. c. 21. §. 10.*

§. VI.

Simili ex fundamentò *innocens ab hoste postulatus minime aut occidere à Civitate potest occidi*: qui ad seipsum pro conservanda Republica potest. *cà ad necem tradendum non est obligatus, nec poenam, dum illud, quod facere non tenetur, saltem intermittere dignus.* Neque

C

ob-

obstat, quod Stryckius *in alleg. Disp. de for. consc. c. 6. n. 103.* ob-
 jicit, innocentem tali casu, quia Reipubl. resistit, fieri nocen-
 tem. Etenim in licitò defensionis statu idem versatur, nec sui
 deditionem ad mortem renuens interitum Reipubl. sed propri-
 am quærit & intentat salutem, quod eruditè & fufius ventilat
 Bœcklerus *L. 1. c. 1. §. 6. p. 95. seqq.*

§. VII.

*Multo minus in
 postulati, sed
 non inventi, lo-
 cum substituen-
 dus est alius in-
 nocens.*

Quid verò, si ab hoste ad necem postulatus nequeat inveniri,
 anve alius innocens offerri eidem ad eadem poterit? Hujus rei ex-
 emplum refert Auctor Politicæ curiosæ §. 19. p. 185. seqq. his ver-
 bis: *Durante bellò tricennali Aldringerus Casareus Generalis ve-
 nit cum exercitu versus Helms.adium in monte (Cornelius-Berg)
 considens, & nisi civitas com meatum salubrem præbeat, obsidio-
 nem minitans. Quid sit? Cesareanis appropinquantibus quidam ex
 oppidanis in portu Neomarcana explosit einen doppelten Haufen
 & magistrum equitum, quem Aldringerus perditè & afflictum
 amaverat, interficit, quò compertò prædictus Generalis irâ incan-
 descens juravit, ni dederent ex templo, & è vestigiò illum hominem,
 se civitatem cum Academia ferrò & flammis deleturum. Inquisi-
 tum deinde diligentissimè in facti auctorem, qui tamen nullò modo
 investigari potuit. Generalis autem cum religiosis dictis facta jun-
 gere inciperet, civitas in istò salutis exitiùque periculò constituta
 prendit innocentem Medicum, eumque furibundo hosti dedis-
 strangulandum, ut hâc ratione civitas servaretur. Si innocen-
 tem postulatum civitas hosti, juxta antè deducta, tradere non de-
 bet, multominus alium & eum, qui notoriè est innocens, & cu-
 jus traditione nec hosti, qui nocentem tantum ad supplicium,
 non verò alium innocentem postulavit, satisfieri potest.*

§. VIII.

*Ad libidinem
 nemo est traden-
 dus.*

Cum hominum innocentium occisio æquè jure naturæ,
 ac corporis prostitutio, videatur prohibita, non apparet, qui fiat,
 quod innocentem hosti ad mortem posse tradi, largiantur, sed ad
 libidinem implendam negent, cum rectius utrumq; regitur: præbi-
 tio aut prostitutio corporum ad libidinem & innocentis occisio est
 malum

malum morale; in mala moralia, nec libertas, nec juris relinquatur arbitrium, necessitasque summa neminem ad id, quod juri Naturæ & honestati intrinsecè est contrarium, cogere potest. Brunn. ad reg. 4. X. Covarr. in R. peccatum. p. 2. §. 1. n. 5. seqq. Respublica ad tam impia & turpia perpetranda Juvenes, atque Puellas ex pactis conventis tradens, subjectaque nequitiaë subministrans, in perniciem cooperatur: malè itaque Aurelius Rex Hispaniarum aliquot virgines stupro dandas à Mauris pactus est, referente Becman. in Med. Pol. c. 21. §. X. in fin. Bœckler. in Grot. L. 1. c. 1. §. 6. p. 101.

§. IX.

Alium nec minus memorabilem casum all. auctor Pol. curios. a. §. 19. p. 187. his recenset verbis: Potentissimus Rex Sveciæ Carolus Gustavus ad favorem Polonorum eò meliùs demerendum, severissimò Edictò furtis & rapinis in Polonià non committendis interdixerat: *Es solte auch keiner einem Pohlen ein Haar frümmen.* Cum verò unus ex Scotis militibus lineas & leges à Rege sanctissimè servandas præscriptas violaret, & vel ex proposito vel sine culpâ quãdam Polono cuidam damnum contra leges latas daret, statim à liëtore militari (Profosch vocant) fuit suspensus, ingemiscientibus reliquis commilitonibus, qui Regimenti Scotici membra erant. Postea verò cum Poloni Tartaris conjuncti ad Warsaviam cum exercitu haberent, Rex Sveciæ ibidem cum iis acie confligere constituit. Die verò pugnae conditò & denunciato Scoticum istud Regimentum, in quò maximum tunc erat robur, prius certamen hostile inire noluit, nisi liëtore ille militaris, qui popularem Regis jussu suspenderat, rursus suspenderetur. Rex in præsentis discrimine, ubi virorum armorumque certamen erat faciendum, consistens, ad sedandum Regimenti illius tumultum, liëtorem militibus Scotis suspendendum tradidit, & quanquam miser & pauper ille (si lita loqui licet) Diabolus regereret, daß er des Königs Ordre hierinnen nachgelebet; tamen oratio illa excusatoria, in casibus ordinariis satis honesta, tum locum invenire haut potuit. In eò nunc quæstio versatur: An belli sociis ad sedandum tumultum, & ad imminens

minens totius exercitûs periculum impediendum, innocens ad occidendum tradi posse? Spontè concedimus, imbecillitatem humanam quodammodo excusare factum, credimusque, DEUM, qui ex benignitate peccata remittit, facilius id ipsum, quia ejus causa non est pertinacia, fore condonaturum. Minime verò tale factum, quò *innocens in vitâ directò læditur*, justum putamus & æquum, præsertim, ubi alia periculum evadendi spes plane non decollat; vel enim jure fœderis, ut status fert rerum, ad pugnandum cogi possunt milites, vel donationibus, promissionibus, aut aliò modò induci, imò deditio innocentis, ubi opus, promitti, post pugnam tamen differri, & sic præcindi, tumultus verò aliò beneficiò sedari potuisset: ubi omnia recidunt incassum & periculum hætenus incertum, est exitus DEO, qui solus dat victoriam, & non rarò per parvam manum magnas fugavit copias, committendus: Victoriam à DEO & virtute impetrandam *innocentis* polluere *sanguine* & illicitis querere salutem remediis, turpe est & injustum. In recensitò accedit casu, ipsam Regiam Majestatem per *licitoris innocentis* interneccionem violari illò, qui regium mandatum implevit, ob obedientiam suam eis, qui obedire noluerunt, pœnas dante, & è vitâ migrare coactò.

§. X.

Innocens ob aliorum delicta non puniri debet.

est puniendus.

Exinde porro fluit, quod nec *innocens ob aliorum delicta* supplicium alter ejusdem fiat particeps; ubi pater ob crimen ad promeritum trahitur supplicium, liberi paternâ curâ privantur & auxiliò, bonisque Fisco addictis, vitam miserè transigere necesse habent; propriè tamen & verè non pœnam, sed calamitatem, inquam, ut in alias, fortuitò incidunt, patiuntur. In *Crimine perduellionis*, quod crimina inter atrocissimum, utpote ad necem Principis & Reipublicæ everisionem aut labefactionem directum, habetur, non solum ipsi *perduelles*, sed & ipsorum *filiis, filiisque Jure Civili Romanò* juxta l. 5. C. ad L. Jul. Maj. abs Imperatoribus *Arcadio & Honorio* puniuntur. *Infamia paterna eos semper comitetur, ad nullos prorsus honores, ad nulla perveniunt sacra-*

Sacramenta, nihil quicquam vel ex bonis paternis, vel ex aliorum etiam matris & propinquorum hereditate tam testatâ, quàm intestatâ capiant, vita debet esse supplicium, & mors solarium. Ipsâ quoque morte punitos fuisse perduellium liberos testantur de Macedonibus Curtius *L. 6. c. 11. §. 20.* & de Carthagenensibus Justinus *L. 21. c. 4.* Sed quia pœna, Grotiô *de J. B. & P. L. 2. c. 20. §. 1.* aliisque definentibus, est malum passionis, quod infligitur ob malum actionis, tantùm adest, ut justitiæ aut æquitatis præ se ferat notam ob crimen patris liberis innocentibus inflicta capitis pœna; à quâ & memorati Imperatores *in all. l. 5.* se temperârunt, vitam, quæ naturalis est, non tollentes, sed imperatoriâ specialiter lenitate concedentes. Innocens nihil mali pererigit, ergò neque idem pati debet. Metus, quem prætexere solent, liberos paterna fore imitatuos exempla, aut patris vindicatuos esse necem, existit incertus, deque innocentibus, quibus delictum parentis displicuit, non præsumendus; Attamen, nequid contra Principis, aut Reipubl. salutem moliantur, justè impediuntur; mortis pœnâ digni non sunt, in quibus nulla præcedit culpa; est pœna propter emendationem, quâ nec indigent innocentes. Quapropter hodiernorum Principum clementiâ multò celebratur major in perduellium liberos, vel planè non, vel multò mitiùs, quàm ex præscriptò Imperatorum *in all. l. 5. C. animadvertentium. Add. Puffend. de J. N. & G. L. 8. c. 3. §. 33.*

§. XI.

Quamvis Jus Canonicum *c. 10. X. de Heretic. Hereticorum filios pœnâ afficiat, nec desint, qui sic dictos Hereticos ultimo censeant supplicio dignos, arbitramur tamen, neque ipsos, multò minùs eorum filios gladiò, si nudi sint hæretici, esse ferendos. Animum corrigere, & mentem vi cogere, superiori officium non est. conf. Thomaf. Disp. Hale a 1697. An hæresis sit crimen? & ejusd. Disp. Hale a. 1697. de Jure Principis circa Hereticos. Disp. M. Hein. Regiomontii A 1700. de Hereticis coercendis, non occidendis, & Coccei de jure circa Hereticos A. 1699. Francofurti habitæ.* Sic nec ob alia, qualiacunque paren-

tum delicta, liberi innocentes sunt puniendi; omnium verò minime supplicio capitis afficiendi, aut in nepotes & progeniem totam est extendenda pœna. conf. Curt. *L. 7. c. 5. §. 35.*

§. XII.

Simili ratione *neque ob liberorum crimina pœnam justè luunt parentes innocentes*: Ubi ob malam liberorum fortè educationem puniuntur, non sunt amplius innocentes. Porro *nec conjugum conjugis delicta imputanda*; quapropter nec pœnam unius altera conjugum pars ferre debet, nisi sit quædam tantum calamitatum communicatio; conf. *§. 10. b. c.* Imò & in atrocissimò matris nequissimæ delictò est *partui parcendum innocenti*, undè quæ concepit mulier, aut gràvida, corporis pœnam non prius, quàm partu editò, sentit. vid. *§. 1. c. 1.* An *pro Principe delinquente occidi possit subditus innocens*, si scilicet Princeps unus alterum lædat, *læsus* verò pro expiatione delicti à Principe patrati, poscat *innocentem*, ex iis, quæ *§. 4. b. c.* adducta sunt, determinandum relinquimus.

§. XIII.

Nemo seipsum ad pœnam pro buscunque verbis aut obrestationibus pro aliis nocentibus & mortem alterò validè obligat. Ex adductis jam momentis patet, *quamvis innocentes se qui ad pœnam pro buscunque verbis aut obrestationibus pro aliis nocentibus & mortem alterò validè obligat.* *meritis ad subeundam capitis obligarint pœnam* (exempli gratià adducimus *Damonem & Pythiam*, quorum cum uni dies necis à *Dionysio* Tyrannò destinatus esset, ipse verò paucos dies commendandorum suorum causà postulasset, vas factus est alter ejus sistendi, & si non reversus, mortem pro eò ineundi. Val. Max. *L. 4. c. 7. exter. n. 1.*) non tamen in eos ceu *innocentes* esse id propter animadvertendum capitis pœnà. Notabile pariter est exemplum, quod nuper in Novellis Regiomontanis Num. 23. A. 1716. ex Anglià accepimus: Fugit ex carcere (*Der Fou di-ctò*) damnatus Comes de *Nibisdale*, opere conjugis, cujus vestes ipse induit, ipsa verò, cognitâ mariti fugâ, fertur promississe, *daß sie alles vor ihren Mann zu erdulden bereit wære*. Nec obstat dictum vulgatum, volenti non fit injuria: quod ipsum, quousque velle quis jure potest, & est dominus, rectè accipimus cum

J Ctò

JCTO Stryck. *de Caut. Contract.* §. 2. S. 6. §. 17. Pro altero ad pœnam mortis se obligare validè nemo potest, & si qui sunt, qui se ad eam obstringunt, mortem subire parati, non sunt audiendi; Judice innocenti pro nocente injustissimè pœnam infligere præsumente.

§. XIV.

Solent ob eò meliùs firmanda pacta *obsides* sæpè dari, eo quo- *Obses pro Repu-*
que pactò, ut si tradentes fœdus rumpant, pro lubitu illos cru- *blicè factus non*
ciatibus & morte afficere liceat. Sed an *fractò fœdere justè ita af-* *est occidendus.*
ficiantur? quæritur. Cum Puffend. *in Elem. Jurispr. univ.* L. 1.
def. 12. §. 44. & de J. N. & G. L. 8. c. 2. §. 6. mortem obsidibus
(nisi in violationem pacti consenserint) citra injuriam inferri non
posse, putamus; intentatò consiliò innocentis mortem inten-
dere, & quidem sub ratione pœnæ, non nisi injustum esse potest.
Obsides, dum hostilem non gerant animum, neque hostium sunt
censendi conditione & jure. Pluribus hæc de re agit cit. Puf-
fend. *Grot. de J. B. & P.* L. 3. c. 2. §. 18. c. 20. §. 53. Osiander *ad*
utr. cap. it. ad cap. 4. §. 14. Kulpifius *ad c. 2. Disp. 2. §. 6.* Ziegler-
rus ad cap. 20.

§. XV.

Si Superior dederit Judici mandatum *de innocente ad mor-* *Judex à Superi-*
tem condemnandò, hic ipse salvâ conscientia id mandati genus *ori jussus inno-*
perficere non valet. Etenim nemo potest aut debet jussa Super- *centem damna-*
rioris suscipere actionem, tanquam suam, quæ conscientia rectæ *re non debet.*
repugnat dictamini, qualis omninò est, innocentem damnare ad
mortem; neque Principis obstat mandatum; DEO enim magis,
quam *hominibus* impia mandantibus, obediendum, neque jura-
mentum, quod vinculum iniquitatis esse non debet, à judice
præstitum, est eò extendendum; non juravit, se superiori etiam
in injustis obedire, sed justitiam colere, eamque administrare,
malosque, non innocentes, tollere velle. Sed major est de illò
judice, qui merus est in causâ capitali *exsecutor* dubitatio, si su-
perior executionem ei mandet, non quatenus simul est Judex,
sed quatenus est inferior & exsecutor. Approbamus hic Tho-
masii

masii sententiam, quam in *Disp. de injusto Pont. Pilati iudicio* §. 87. foret, inter conscientiam certam & dubiam distingvens; si dubitat de iustitiâ sententiæ prolatae exsecutor, haut peccare videtur exsequendo iussa Superiorum; si verò innocentia damnati ipsi executori certè cognita sit, iuxta Coleri *de Processu Execut. p. 4. c. 1. n. 159* opinionem potius officium, quàm injustitiam faciat, resignet, ubi scilicet executio est insuperabilis, & rei aut ad mortem damnati notoria prostat innocentia.

§. XVI.

Qui mandati injusti habet ignorantiam, aut dubitat, suscipit licitè executionem. An ergò *carnifici innocentem injustè morti adjudicatum ex jussu Superioris interficere non licebit?* Est idem omninò nudus minister, & sententiæ tantùm exsecutor, non justitiæ disquisitor, proinde omnem actionem, quam auctoritate Magistratus suscipit, licitè suscipere censetur, cum obsequatur Superiori, ejusque sententiam discutere fas ei minimè sit, notante Zieglerò ad *Grot. L. 2. c. 26. §. 4.* Neque, quod vult *Grotius loc. cit.* carnifici damnatum occisuro necesse est, cognita esse debere causæ merita, eidemque constare, mortem à delinquente esse promeritam, antequam violentam addat manum. Non est obligatus Magistratus sententiæ rationem reddere executori, imò & sæpe tales, quas detegere non conducit, emergere possunt causæ. Non peccat itaque carnifex obediendo, dum factum judicis in dubiò justum & rectum meritò præsumit & præsupponit. At ubi manifestè idem habet cognitum, innocentem prorsus esse eum, quem occidere jussus est, suo defungi officio cunctabitur, quantum fieri potest, omni acturus molimine, ut liberetur innocens, & evadat salvus. vid. *Thomaf. in Disp. alleg. de injust. Pont. Pilat. judic. §. 86.*

§. XVII.

In dubio superiori, aut magistrati, aut magistra- Cum bellum injustum non belli, sed latrocinii mereatur nomen, in eò non hostibus sed innocentibus trucidatis, non alicui parendum, enaadè est quaestio, *an subditus in bello, injusto licitè arma suæ etiam in causâ matris?* *Hebbes de Civ. c. 12 §. 2.* *Similitavero,* inquit, *jussu civitatis, putans bellum injustè susceptum esse, idcirco injustè non* scep-

*fecero, sed potius si militare recusavero, cognitionem justæ & inju-
sti, quæ pertinet ad civitatem, mihi arrogans.* Ad stipulatur Puffend
de Off. H. & C. L. 2. c. 12. § 9. eo quod civis publicè militat
nomine. Verùm nobis opinantibus, nec adeò malè hic inter in-
justitiam certam, distinguitur atque dubiam; in dubio civis re-
ctiùs Magistratui paret, observatque regulam: *Tene certum, re-
linque incertum.* Jam extra positum est controversiam, subditos
obedientiam debere Magistratui manifestè impia atque injusta
non præcipienti; bellum verò ex eorum esse numero & plane in-
justum, est incertum. Ergo obedientiæ relinquendus locus; assenti-
untur Kulpifius *Disp. 10.* Zieglerus & Osiander ad *Grotii loc. al-
leg.* Puffend. *de J. N. & G. L. 3. c. 1. § 8.* non malè asserentes,
*apud omnes gentes, quæ aliqua honesti cura est, in deliberationi-
bus de bello suscipiendò causam justam semper præsupponi.* Dicta
ad illos, quibus, ut militent, edicitur aut imperatur, aut, qui
simpliciter parere jubentur, referenda. Enimverò, ubi subdi-
torum quis ad deliberationes admittitur, & suffragii ferendi jus
habet, aut cujus arbitrio, an militare, vel quiescere malit, permit-
titur, cum nec id, de quò dubitat, cum spontè agere injusta sit
semper iniquum, multò minùs id, de cujus injustitiâ constat li-
quidò, rectè suscipere posse, cum Grotio, Vitriariò, Puffend.
aliisque arbitramur.

§. XVIII.

*An Judex innocentem, ex actis tamen & probatis convictum, Non secundum
(sed cujus innocentiam satis ipse perspectam habet) damnare, pri- Acta & probata,
vatare, sed certæ scientiæ aut conscientiæ rationem habere, & vel sed secundum
absolvere magis, quàm condemnare innocentem debeat? gravis est, conscientiam ju-
nec levis momenti dubitatio. Fingamus casum, & cui is displi- dicandum est
cet, non adeò dissimilem legat apud Vasquium Illustr. Judici.*

*Contr. L. 1. c. 14. Senatus alicujus loci solennia celebrat, eique totò
die minister quidam, ut ex ejusdem conspectu non deceat, inservit,
contingit tamen, ut idem homicidii eodem tempore & die in plateâ
commissi accusetur; duo aut tres omni exceptione majores, iique
jurati producti testes, ipsum hunc ministrum fuisse cædis auctorem,*

D

deque

deque visu testantur, accedit, quod inter hunc & occisum gravis intercesserit ante inimicitia. Ex actis itaque & probatis idem, cum nocens, convictus, sed Senatus aut iudices eum innocentem esse sciunt, quid; rebus & circumstantiis ita se fortè habentibus, in ista collisione *Judici* agendum sit? acriter digladiantur interpretes. Alii, quorum agmen Covarruvias à Leyva *Variar. Resolut. Jur. Tom 2. L. 1. c. 1.* variis pro suâ proque contrariâ sententiâ adductis argumentis, ducit, pro *actis & probatis* militant. Quorum opinionioni accedit Swendendorff, in *Not. ad Ekolt. tit. ff. de Judiciis §. 4.* eò non obstante, quod innocenti per sententiam condemnatoriam fiat injuria; hanc, putat alleg. Swendendorff. non *Judici* secundum officium suum judicanti, sed vel testibus falsò deponentibus, vel humanorum judiciorum conditioni esse imputandum, quasi hæc rectius institui nequeant, & injustissima sint futura, nisi ex actis, aut secundum judicialem & publicam judicetur veritatem. conf. Harprecht. *ad tit. Inst. de action. §. 34. n. 2.* Alii *acta & probata*, ubi apertè falsa sunt, non respicienda esse asserunt, *Judicem*que non male agere, si, quia ipse simul *testis & judex* esse nequit, officio abdicet: At, quomodo *Judici* satis tutò hoc facere liceat, non apparet: Se secundum veritatem pronunciaturum sanctè juravit, non se, cum veritatem certò sciat, officium esse depositurum; Dubium est, ne fortè alter *Judex* secundum acta pronunciet, innocentemq; condemnet, subque *judice* illò substitutò, innocentia insciò, pereat innocens. Arum. *Disp. 20. Inst. th. 3.* Quid si *Judex* ille prior aliunde non haberet victum? bis stultè faceret, quia nec innocentem salvaret, & se ipsum illuderet, ita inferente *Vasq. Ill. Contr. L. 1. c. 14. Ziegl. Dicast. concl. 35. & Fransk. ib. cit. Finis actorum & probatorum*, ut nobis videtur, non est alijs, quàm detegere *Judici* veritatem, quam dum meliori modò per certam, veram, & indubiam scientiam possidet, non immeritò ipsarum rerum, aut ipsius facti veritatem, ubi *de sanguine* agitur humano, *actis & probatis* præfert, *innocentem* absolvendo, cum in dubiò quoque melius esse censeatur, nocentes absolvere mille, quàm unum condemnare inno-

centem. Planè Judicem ita judicare oportet, sicut se judicari exoptat à Summo & Supremo omnium Judice in extremo Judiciò, cujus judicio præfuit in terris. conf. Pr. Landr. L. 1. c. 4. §. 1. f. 17. *ibi*: In welcher Stunde er aber einen Menschen richtet, daß auch in derselben Stunde Gott wieder ihn gegenwärtiglich richtet. Verba notatu & memorià dignissima: Vid. all. Ziegl. Thomaf. *de injust. Pont. Pilati judicio*, & Auctores ab ipsis citati all. Vasq. *Ill. contro. L. 1. c. 14.*

§. XIX.

In præliis navalibus, ubi *classarii* se ampliùs hosti resistere *Jussu Principis* non valere vident, sed victas *cogi* dare manus, ipsi *ignem pul. classarius*, aut *veripyrio sæpè subijcere*, & *præfecti castelli* ultrà defendere castel- *castelli Præfectus* lum non valentes, *ex Superioris mandato*, daß sie die Bestung *cum militibus se* wenn sie sich nicht länger halten können, in die Luft sprengen *non licitè perdit.* sollen, *castellum potius, quàm se hosti tradant, penitèns evertere solent*, ut quotquot ibi constituti, cum ipso præfecto pereant potius, quàm in hostium perveniant potestatem, ex illis incrementa & vires contra Rempublicam sumentium aut acquirentium. Si toti navi aut castello, inque iis versantibus hominibus totalis à pulverè pyriò non imminet interitus, sed parti, aut totius navis castelli etiam meruatur interitus, vitæ tamen spes aliqua superfit, & aliquò homines modò servandi detur occasio, everfio haut adeo illicita putanda; etenim mors innocentium minimè, sed tantùm hostium intenditur noxa; hinc, si mors eorum fortè sequatur, illa casu fieri intelligitur; contrà, ubi nulla planè, ne minima spes se & milites conservandi præfecto castelli aut classario superest, sed *certissimus omnium interitus* ob oculos versatur, quis, salvâ justitiâ & humanitate, sanguinis tot hominum profusionem siccis aspiciet oculis, factumque probabit? Patriæ commodum promovendum quidem, & hosti nocere licet, sed an per media qualiacunque, etiam *illicita*, quorum in numerò propria, & hominum innocentium sunt occisiones, meritò dubitamus; quare *Gustavus Rex Sveciæ* celebratissimæ memoriæ in Navarcham quendam, qui memoratò modò seipsum neci dederat, dixisse fertur, *Er habe bey ihm und dem Reiche tapffer und treulich/*

sich / bey seiner eigenen Person aber als ein (nomenclationem ipsam exprimere veremur) gehandelt / vid. Schwart. *ad Jus mil. Svec. Car. Gustav. ad tit. 12. a. 59.* Pappus *ad Jus militare Holland art. 53. in fine ibi* : In solchem Fall ist es besser / und dem gemeinen Wesen nützlich / sich und seine Soldaten / die noch gute Dienste leisten können / retten / als sich selbst Verlust des Ehrts in den gewissen und unvermeidlichen Todt bringen. Neq; iussus Principis, aut Superioris factum hoc tuetur; debitum erga Principem & Superiorem obsequium ad præcepta juri naturæ & humanitati contraria extendi non potest, nec debet. Conf. Stryk. supra alleg. *Disp. de Foro conscient. c. 6. à n. 115--121.* & *Disp. Halle Magdeb. a. 1700. de obsequio Judicis inferioris.* Kleinii *Dispur. Rostochi A. 1700. de inobedientia impuni*, von unstraffbaren Ungehorsam / nec non Schöpfferi *Disp. de Officio præfecti castelli ad extrema obligati*, germanicè, der sich wehren soll bis auff den letzten Mann / oder bis auff den letzten Bluts Tropfen. *Rostochii A. 1701. habitæ.*

§. XX.

*Seipsum nemo
interficere de-
bet.*

Quod in alios non licet innocentes, id multò minùs in se ipsum. Hinc si Princeps innocenti, sed ad mortem injustè destinato, ut sui ipsius sit carnifex, seque ipsum vel ferrò jugulet, suspendat, venas secet, vel veneni poculum sibi ipsi propinet, aut aliò modò se ipsum interimat, injungat, obedientique mortem hanc leviolem, detrectanti verò eò gravius decernat supplicium, & annunciet, parere num fas erit? quæritur. Exemplum tum in Senecâ à Nerone venas ictu ferri sibi incidere jussò. conf. Cornel. Tacit. *Annal. L. 15. c. 63.* tum in Imperatoribus Turcis, ducibus suis, die Waffen dictis, quos interimere decreverunt, funem sericum, quò se ipsos jugulent, mittere solitis, deprehendimus, arbitramurque; hujuscemodi jussum cum naturæ seipsam non destruenti, sed conservanti inferat vim, haut esse attendendum, quin quemque potiùs maximos sustinere cruciatus, quàm seipsum occidere oporteat.

§. XXI.

§. XXI.

Sed an Princeps in eum, qui ex jussu ejusdem, innocentem non interimat, jus animadvertendi, idè quòd de occidendò innocente mandatum fuisse deque habitum, aut neglectum, & quem Princeps perire statuerat, sit servatus, habet? minimè. Speciat hùc exemplum Pisonis, quod ex Senecà de irà Lib. 1. c. ult. de eò Thom. Siegfried King in Disp. a. 1697. Francofurt. ad Viadr. habita, de Pavnà sine culpà c. 1. §. 21. seqq. his narrat verbis: Piso iratus duci jubet eum, qui ex commatu sine commilitone redierat, quasi interfecisset, quem non exhibebat, roganti aliquod tempus ad conquirendum non dedit. Damnatu extrà vallum ductus est, & jam cervicem porrigebat, cum subito apparuit ille commilito, qui occisus videbatur. Centurio itaque supplicio præfectus reducit damnatum ad Pisonem, qui Tribunal furens conscendit, ac jubet, duci utrumque, & eum, qui non occiderat, & eum, qui non perierat, adfecit & tertium ipsum Centurionem, qui damnatum reduxerat. Constituti sunt in eòdem illò locò perituri tres ob unius innocentiam. Te, inquit Piso, duci jubeo, quia damnatus es; Te, quia causa damnationis commilitoni fuisti; Te, quia jussus occidere Imperatori non paruisti. Excogitavit, quemadmodum tria crimina faceret, quia nullum invenerat. Nemo, cujus cordi vel offibus humanitatis vel mica inhærebit, hoc laudabit aut approbabit facinus, eosque excusabit, qui ad supplicium, quos innocentes esse liquidò iis constabat, duxerunt jussi.

§. XXII.

Hujuscemodi facti, si quis id ex superioris exsecutus fuerit jussu, atrocitas, num jubenti solùm, aut cogenti, an verò non minùs exsecutori ipsi imputari possit? non inutilis disquisitionis res est. Thomas Ho'bbes in Elem. Phil. de Civè c. 12 §. 2. nec minùs Puffend. de J. N. & G. L. §. c. 1 §. 6. his concurrentibus, (si (1.) mera duntaxat exsecutio injuncta, (2.) illud ipsum ministerium, si quis, quantum potuit, averfatus, & d. precatus sit, (3.) in casum detrectate executionis præsens vite periculum, aut aliud grave malum, ad quod pro alterò subeundum, neque ex jussu,

Injusti mandati
exsecutor ab im-
putatione non
est immunis.

stitiâ, neque charitate quisquam obligatus, à mandante, cui malum id representandi vires sunt, intententur, & ubi (4.) is, citra nostram etiam operam, alteri malum sit illaturus) injusti mandati executorem, & obtemperantem liberant ab imputatione; sed an satis tutum eum faciant, inque conscientiâ securum, non parùm rursushæremus ancipites; etiam si enim hic eadem innocentis ad puram meramque, quemadmodum Puffend. l. c. & L. l. c. 5 §. 9. it. de Off. H. & C. L. l. c. 1. §. 24. referre vellemus executionem, cum Thomasi d. tamen in Jurispr. divinâ L. 2. c. 2. §. 167. differentiam inter necem hominis innocentis, & mandatum suorum matri inferendum liceret querere; cujus executionem ita gravem esse ac fœdam fatetur ipse Puffendorffius, ut generosum videatur mori malle, quàm ei patrandò sua membra accommodare. vid. §. 3. supra, conf. Weber. in not. ad Puffend. de Off. H. & C. L. l. c. 1. §. 24. & L. 2. c. 12 §. 9. ubi ita infert: *Ulti Summus Imperans ad injusta, legibusque divinis adversa mandanda jus nullum habet, ita ad ea exequenda civibus nulla incumbit obligatio*; Et quanquam, ne lædatur, aut occidatur innocens, impedire viribus non valeamus nostris, tamen, ne lædens nostrò auxiliò utatur, & ministeriò, aut manu, impedire & reluctari possumus.

§. XXIII.

Contra injusti mandati executorem, ceteris paribus, est licita defensio.

Fusiùs hætenùs deducta, sicubi, quemadmodum in theoria inculcantur, ipsò forensi usu, aut rerum obtinerent argumentis sanctè custodita, non opus esset disquirere, *an iis, qui summorum imperantium injusta mandata nunc exsequi nituntur, inque iis re ipsâ adimplendis sunt occupati, violento resistere liceat modò, idque in eos potius, quod ipsi aliis innocentibus intentant, statuere & prævertere?* Uti pro Ministrò Superioris aut Principis, & executore, quòd propriâ idem non peccet culpâ, quòdque, quicquid suscipiat, iustus faciat, adeoque videatur innocens, militat, ita non minùs pro innocente, injustè ad necem destinatò, facit, quòd planè eum innocens propriam, quòdunque modò, quærere possit conservationem, utpotè non obligatus mor-

mortem pati innocenter, & quamvis uterque adeò innocentia privilegio gaudere censeatur, accedatque, quod, Principi aut Superiori resisti non licere, sit supra *cap. 2. § 5.* assertum; tamen quia sanctitas ea, idemque character, qui in ipsius Principis personâ, non est in ministris, videtur innocentis resistentia mereri excusationem, tunc scilicet, si ministro sit *mandati* perspecta *injustitia*, & non detur innocenti propriam conservare salutem, quam per alterius, sed suo modo nocentis, læsionem aut occisionem, probationibus & demonstrationibus, aliisque mediis evadendi mortis periculum deficientibus. Grotius de *J. B. & P. L. 1. c. IV. §. 1.* & Stryck in *Disp. Hale Magdeb. A. 1699. habitæ de Jure Epistolatis*, germ. *Süßliche Ordre / c. 3. n. 41.* à quâ tamen temperandum resistentiâ, ubi injustitiæ ignorantia, aut consilii concenrit in ministro defectus; idque *innocenti* notum. Qualis ignorantia & doli defectus cum communiter sit in *carcerum custodibus*, aut *commentariensibus*, iis, qui putant, innocenter aut injuste incarceratis, custodem carceris, aut commentariensem, ut liberentur, suamque modo servant vitam, licere occidere: conf. interim ab Harprecht *ad §. 5. J. de publicis Judic. n. 230.* in f. allegatus Krembergeck Tract. de *Necessariâ Defensione qu. 5.* ubi multis rationibus & auctoritatibus dicitur ostendere, quod ei, qui sine justa in carcerem est. *conjectus causa*, & presentissimum vite periculum aliter evadere nequit, custodes licite occidere liceat, non ad stipulamur: permittitur redimere quomodo-cunque sanguinem, & honesta expediendæ salutis habetur ratio, sed an cum *internectione innocentis*? in eò est questionis cardo.

§. XXIV.

Ex dictis deductisve plene fuit alveò, nullò modo, aut humanâ, nefandissimum Turcici status morem aut legem, quò Turcicorum Imperatorum filii unus admittitur ad imperii habenas, reliques inevitabilis mortis, cum Turcæ imperii amulos non ferant, excusari, aut colorari posse ratione, quæcumque etiam publicæ utilitatis, & salutis admoveatur causa. conf. Hornius in *Turcici imperii mos, quò innocentes novi Imperatoris fratres tolluntur è mediò, non potest excusari.*

Orbe

Orbe Politicò tit de Imper. Turcicò n 3 §. 4. *Precipua*, inquit, imperii Turcici securitas consistit in eade fratrum: novus enim Imperator initium imperii facit à strangulatione omnium suorum fratrum non odiò aliquò, sed quod aliter non possit consuli unitati & concordia Turcici Imperii. *Quinque suorum fratrum strangulationi Amurathes presens se fertur excusasse, quasi non livore aut odiò, sed concordia in familià Ottomannicà conservande, quâ salus Imperii Turcici continetur, necessitate extremâ coactum, & ex Antistitum consiliò se id facere.* Referente Thuanò Lib. 114. *Histor. ad Annum 1595. Sucedens Amurathi, filius Mohammedes III. patris vestigia legens initidò imperii novendecim fratres juniores strangulari curasse memoratur, decem prægnantibus patris concubinis additis, & mari submersis. Alii loco concubinarum, partus ipsarum ponunt, welche er als sie zur Welt gekommen / wie die junge Kagen ersauffen liesse. conf. die neu auffgerichtete Ottomannische Pforte L. 9. Happel. in Thesaur. Exoticorum alleg. in Disp. Regiomonti sub præsidio M. Stüsemers A. 1700. de fratricidiò, à quò Turcarum Monarchæ non rarò imperii initium facere consueverunt. §. 3. add. Arnifæus de Republicâ c. 2 sect. 11. n. 12. 15. seqq. Jcto Papiniano immortalii cedit honori & gloria, quòd mori, quàm eadem Getæ à Caracallâ commissam excusare aut approbare maluerit, reputans, non tam facildè parricidium excusari posse, quàm fieri. Quis hominum pro! audebit Turcarum excusare fratricidia in innocentes commissâ? omnium minime Papinianus, aut ejus imbutus principiis.*

CAPUT IV.

Tradit ulteriorem regulæ quoad
privatum, quod nec is ex quâcunque causâ oc-
cidere innocentem possit, extensi-
onem.

§. I.

§. I.



S I *Princeps* nullam in *vitam innocentis* sibi jure vindicare valet potestatem, qui *privatus* ullam ob causam *innocentis vitam* laedere aut auferre praesumat? *Conservatio* sui ipsius est cuique hominum insita, & *nacentes* *maclare* turā commendata quidem, sed eam solam *innocentis* non licet, *occisionem* minimè facere justam, sequentia illustrabunt, aut confirmabunt. Hostis *conservationis* nostrae maximus omnium est *fames*, quanta haec calamitas sit, quamque saepe propter eam *innocentes* laesi, & laedantur, & nobis tacentibus latis *historie profanae*, & si ad eas provocare licet, etiam *sacrae* ostendunt. conf. Zieglerus in Grotium *L. 2. c. 1. §. 3. de septem Britannis, qui tempore longius in mare abrepti deficiente cibo & potu capti consilio sortiti unum ex sociis consilii auctorem, & planè non reluctantem, jugulavunt, cujus carnibus & sanguine intolerabilem famem sitimque utcumque sedarunt.* Notatu & commiseratione non indignum est exemplum, quod narrat Zieglerus in *täglichen Schau-Platz der Zeit* p. 1345. de extrema fame in *Obsidione Brisaci A. 1638.* *grallante, der Hunger / inquit, war so groß darinn / daß in einem Tage acht Kinder vornehmer Leute verlohren / und ingeheim von hungrigen Zähnen zerrissen worden; Die todten Körper / so schon etliche Tage im Grabe gelegen / und halb verfaulet waren / scharrrete man wiederumb aus / und fraß das Vermodderte / und stinckende Gedärme daraus / die Besfangene im Stockhaus krazten mit den Fingern Löcher in die Mauren / und leckten den schädlichen Kalk / da gemeldter massen dreißig davon gestorben / und acht davon auffgefressen worden.* *An itaque tempore famis extreme pro pluvium conservatione innocentem unum atque alterum ad comedendum maclare licet?* non injustè quaeritur. *Thomasius* in *Jurispr. Divin. L. 2. c. 2. §. 160.* non dubitat sustinere *affirmativam*, quasi medium necessitatem evitandi ab instinctu naturali proveniat, modò, quod alii addunt, probabile sit, *homine maclato uno*, periculum mortis reliquos fore evasuros, caede *innocentis* hic non ex intentione

E

feu

seu malò propositò, sed conservandæ reliquorum vitæ, & salutis
 causâ, commissâ. Verùm tutiùs cum Zieglerò *d. l.* & Alberti
 in *Comp. J. N. P. 2. c. 3. §. 19.* tuemur *negativam*, naturâ nun-
 quàm non à tali cibò, qui per medium illegitimum, *innocentis*
 scilicet *occisionem*, procuratur, abhorrente, ipsâque *hominis*
unius mactatione neque in summâ necessitate certò famem tol-
 lendi mediò existente; In obsidionibus dulci mox subsecuturæ
 liberationis spe foventur quidem plerumque obsessi, sed utinam
 non esset incerta, & vitæ spiritus certos sibi promittere possent
 esurientes. Vesci *humanis cadaveribus miserandus* quidem,
 non tamen *nesarius*, monente Thomasiò *l. cit. §. 159.* est cibus.
 Nocentes mortisque suppliciò non indignos in extremâ necessi-
 tate ad comedendum posse tolli, damus, sed innocentem bovis
 instar licitè mactari posse, veremur asserere; extrema in obsidio-
 nibus necessitas est *traditione cast. li* potiùs à Præfectò evitanda,
 quàm crudelissimâ *humani* ad famem sedandam *sanguinis* perpe-
 tratâ cæde. Vide Schæpfferum in all. *Disp. de offic. Præfecti ca-*
stellæ ad extrema obligati c. 4 n. 39. Quis itaque deditionem
Wismariensium, de quibus nuperrimè Regiomont. *Num. 36. A. 1716.*
 retulerunt novellæ, daß sie noch bisz auff den letzten Tag Lebens-
 Mittel gehabt / da aber solche consumirt gewesen / &c. so wären
 sie dadurch zur Ubergabe forciret worden / potiùs non laudabit,
 quàm vitio vertet. Quò facilius est, extra periculum constitutis
 aliquid præscribere aliis, ita ipsis in id implicitis eò difficilius,
 quid justum sit, discernere. Conf. *Dissertatio Rhodii de Periculò*
in morâ Francofurti An 1690. habita, c. 2. n. 34. ubi occa-
 sione lugubris casus, quem historia de *excisione urbis Hierosoly-*
mæ ib. Dieselbe Zeit ist eine unzählliche Menge Volcks Hung-
 ers gestorben / umb ein klein Wislein Brodts haben sich offt die
 besten Freunde gehauen / und gestochen / die Kinder haben den
 Eltern / Vater und Mutter offt die Speise aus dem Munde ge-
 rissen / da hat weder Bruder noch Schwester sich eines des an-
 dern erbarmet; Etliche haben Rühmist vor grossen Hunger / er-
 liche die Riemen von den Sätteln / das Leder von den Schiden
 abge-

abgenaget / und gegessen / etliche haben noch Heu in dem Munde gehabt / etliche haben in den heimlichen Gemächern gesucht mit Unflath und Mist vom Hunger sich zu retten &c. &c. Eine ehrliche Frau / reich und grossen Geschlechts / hat / als nun die Stadt so hart gedrenget und geängstiget ward mit Hunger / ihr junges Kindlein in der Wiegen geschlachtet / und das halbe Theil gebraten / und gegessen / die andere Helffte / als die Kriegsknechte umhergelauffen / und Speise gesucht / hat sie ihnen fürgesetzt &c. &c. *suppeditat, disquirit, an parenti quoque ob periculum in morâ permissa sit internecio liberorum, eorumque commestio? v. g. Si parens in extremâ fame constitutus, vitam suam aliter servare non valeat, quàm mactando filium, & carnem ejus in cibum absumendo: quam auditu horrendam quæstionem negativè decidit, & quidem piè & rectè. Est potius parenti mors obeunda, quàm parricidium tam inconsulto impetu committendum, licet subsit necessitas & cum morâ periculum. Ex jure veteris & necis patri antiquò Romanorum assertò jure l. ii. ff. de liberis & postib. l. f. C. de patr. potest. id videtur remansisse, quod pater filium sanguinolentum, h. e. recens natum in casu summe necessitatis vendere possit. l. 2. C. de patrib. qui fil. distr.* Hæc justâ mentis acie considerans Puffendorffius de *J. N. & G. L. 2. c. 6. §. 3.* circa hunc & alios rariores casus suum suspendit judicium.

§. II.

Deduximus §. 22. c. 3. suprà, neminem jussu Superioris aut Principis lædere salva justitia & conscientia innocentem posse, factumque imputari facienti, qui ergò à privato coactus innocentem lædens effugiet imputationem? non hic de tali coactione, ubi principium motûs est in aliò, v. g. *si quis manum alterius vi arripiens pereandem vim infert alteri*, ibi enim ipse est patiens, loquimur, sed tale, ubi principium motûs aut eligendi facultas est in occidente, & ubi ipse suò modò est agens, supponimus, e. g. *Si quis in angustiis constituto, ubi nec fugiendi, nec resistendi, aut aliò modò periculum evadendi spatium datur, Grièdò gladiò minetur mortem, nisi innocentem fortè adstantem suò*

A privato coactus innocentem occidens non effugiet imputationem.

gladiò percussis: hujuscemodi factum, quanquam Puffend. *de J. N. & G. L. 1. c. 5. §. 9.* & *de Off. H. & C. L. 1. c. 1. §. 24.* coactò non magis imputari posse existimet, ac gladio aut instrumento lethali factam cædem; attamen, quia aliud instrumentum merum idque naturale, & aliud morale, seu homo agens, & inde Judice Thomasi in *Jurispr. Div. L. 2. c. 2. §. 167.* ista hominis cum gladiò comparatio non unas diversitatis patitur rationes, idem veremur asserere, & dubitamus, an jussà interfectio hominis, quem is, qui occidere jubetur, certò innocentem novit, possit nominari & haberi mera executio? conf. Titius *ad l. c. Puffend. obs. 48.* In coactò est aliqua voluntas, deliberatio, aut facultas eligendi, vel innocentis occisionem, vel mortem propriam. Est insuper hæc interfectio medium necessitatem evadendi à malitià hominum suppeditatam, quale allegatus improbat Thomasius *Jurispr. Div. L. 2. c. 2. §. 148.* & non minus æquale malum cum necessitate ipsà imminet.

§. III.

Innocens defensionem aut apprehensionem facinorosorum interpositus.

Si fuga in vaso minus consultè, & in vasor vita per interpositionem infantis fortè se tueri præsumat, aut si plures facinorosi sint apprehendendè, illiq; ipsi infante clypei vice utantur, non licebit in vaso, aut apprehendentibus tela in infantem dirigere innocentem, eumque lædere directè; si tamen invasus & apprehendentes contra invasores & facinorosos tantum procedentes ex improviso interpositum occiderint infantem, ceu non spontè facientes, aut necem haut intendentes veniam merebuntur & excusationem, conf. Amelius *de cas. consl. L. 5. c. 31. §. 3.*

§. IV.

Aut fuga obvius occidi non debet.

Ex præcedentibus jam patere potest, an invasus & fugiens fuga obvium cum vite periculo removere aut perimere possit? v. g. Si in fugâ universi exercitûs ab hoste fugati per pontem fortè fugientes alios obstantes milites oberant, aut in aquam præcipitent: exemplum narrat Theatrum Europæum Tom. 2. p. 349. seqq. Puffendorffius *de J. N. & G. L. 2. c. 6. §. 4. de militari Præfectò* disquirat, *utrum ipse è præliò fugiens hoste instantè, ne fuga mora*

676A

crearetur, de suis militibus unum in confertâ turbâ antepositum transfodere possit? vel an ab invasore in fugam concitatus angustias viarum aut pontis, aggerisque percurrrens innocentem, qui admonitus licet, decedere à viâ nequit, puta, quod vel infans, vel claudus sit, ledere, & sibi innocentis occisione viam fuga patefacere possit? talem innocenti justè intentari haut posse læsionem asserimus. Omnis voluntas in occisionem innocentis directa reputatur injusta; si verò præter intentionem absque deliberatione accidat, ut nimia celeritate transiens pontem, innocentem in eò stantem detrudat in aquas, aut pedibus conculcet, vel conservationem innocentis intendat quidem, casu tamen pernicios ejus sequatur, est iste interitus veniâ dignus. Huc Puffendorffii de *J. N. & G. L. 2. c. 6. §. 4.* referenda verba: *Quod si fuga interpositus, admonitus licet decedere viâ nequeat, puta, si infans sit, aut claudus, excusationem merebitur, qui pedibus aut equo per eundem saltum molitur: Excusabitur Prefectus militaria, si præter intentionem armis suis forte noxam intulerit.* consentiunt Grot. de *J. B. & P. E. 2. c. 1. §. 4.* & in hunc locum Bœclerus, Vitriarius, Zieglerus, &c. Puffend. in *Jurispr. univers. L. 2. Obs. 4. §. 6. & de Off. H. & C. L. 1. c. 5. §. 22.* Amelius de *cas. conscient. L. 5. c. 31. §. 3.* Thomaf. in *Jurispr. divin. I. 2. c. 2. §. 162.* Alberti in *comp. J. N. P. 2. C. 3. §. 17.* Sine proærecti contingentia sub accuratam justitiæ vocari non solent examinationem.

§. V.

An partum, si mater aliter salva esse nequeat, liceat occidere? disputant; in affirmativam inclinant, partim matris salutem, omninò infantis salutem præferendam, partim embryonis respiciunt imperfectionem. Secundum Ebræorum mentem licet ea videtur fuisse infantis læsio, capite nondum in lucem edito; referente Buddeo in *Synopsi J. N. & G. c. 2. p. m. 40.* In æquali periculò cum nasciturò est constituta mater, obque ætatis reverentiam, & quia, ut liberi pro parentibus, quam hi pro illis peccant, apparet æquius, præ nascituro mereri videtur auxilium: Interim quia mater in matrimonium consentiendo, in ejus con-

E 3

sequen-

sequentia, quorum præcipuum est gestatio uteri, simul confensisse intelligitur, soli que DEO jus educendi foetum sit reservatum, materque & medicus in partum non editum, sed vivum, non potius jus, quam in hominem, cujus & jure partus per tradita in *cap. I.* gaudet, vindicare possit, inque vitam liberorum pro extremâ avertendâ; fame per suprâ tradita nil liceat parentibus, non apparet, qui in substratò casu, ubi occisio foetus directò intenditur, interitus ejusdem defendi possit. Accedit, quod neque fæminarum perniciës ante partum, nec earum salus post abortum certæ sint; quippe potest & vult DEUS foetum præter spem sæpe adjuvare, neque minus sapiens ex tali abortu, quam ex partu periclitantur sceminæ. Laborandum igitur pro utriusque conservatione, non minùs pro partûs, quam matris salutem in periculò æquâli. *conf. Joh. Christoph. Artopocus Disp. de periculo abortionis ejusque pœnâ. §. 12. & 13. Alberti in Comp. J. N. p. 2. c. 3. §. 18. Gasparus a Reies in Elysiò jucund. Quæst. campo. Qv. 51. 4.* Medici officium est, medicamenta eò, ut servetur mater, dirigere, sed non cum innocentis partûs periculò aut interitu.

§. VI.

*Neque ob odium
erga supraso-
rem.*

Si foetum, ut mater conservetur, occidere haut licet, multò minùs licebit poculum abortivum sumere, aut infantem noviter natum occidere, si fortè contigerit, quod virgo casta sit vi stuprata, aut etiam Christiana à Judæò, Ethnicò, seu aliò infideli vi compressa; neque tunc vel odium erga virginitatis violatorem & invasorem, neque metus paterni exempli in filio, neque cupido memoriam sceleris extingvendi (cujus causa Lucretia se ipsam gladiò interfecit, Liv. L. 1. c. 58. & Japonensis quædam mulier se præcipitem dedit; Happel. Reclat. cur. T. 2. p. 788.) infantis innocentis occisionem hætenus reddunt licitam: Etenim filius non est delicti patris particeps, ergò nec pœnæ esse debet; metus, qui obtenditur, existit incertus; ob incertum metum de innocente sumi supplicium justitia non permittit, neque memoria sceleris, quam innocentis extingvere cupiunt internecio- ne extingvitur, sed duplicatur.

§. VII.

§. VII.

Promissis, etiam simplicibus tantum, & multò magis *Promissis, quæ innocenti in-*
 sub fide juramenti, aut generosâ dignitate factis aut vallatis *ju-*
 tamentò, est standum. Quid ergo si fides de *innocente ledendo, tem, non est*
aut occidendo data: Sane uti turpiter data est & promissa, ita *standum.*
 pejus servatur; Sed quid, si, *quodcumq;* alter modò postularaverit,
 illicò præstandum promissum; ille verò *innocentis* expetierit
occisionem; an salvâ conscientia adimplebitur occisio? Hu-
 juscemodi promissionis exempla & in sacris occurrunt historiis,
 quæ Theologis relinquimus discutienda. In generali & indefi-
 nitâ hujuscemodi promissione, illa, verbis quamvis non expressâ,
 subintelligenda est, conditio, modò in promittentis, quòd pos-
 tulabitur, fuerit potestate, & honestati moribusque bonis non
 contrarium: conf. elegans textus in *L. 15. ff. d. Conditionib. In-*
stitut. innocens, quia illâs lædi & occidi non potest iusti-
 tiâ, inde illud nec à promissore expectandum, aut ab eò præ-
 standum.

§. VIII.

Nostris assertis prolicitâ innocentium eadè evicturi con- *Argumenta eo-*
 trarium, variis in præfatione breviter jam indigitatis insurgunt rati- *rum, qui cadem*
 onibus: Primum in *Philantia*, ceu actione moraliter bonâ, quâ ho- *innocentium*
 mo se ipsum amare & licitè potest, & omninò debet, quarunt. conf. *statuunt lici-*
 Frid. Christ. Bucherus in *Exerc. Gedani 1639. cap. de Philantia tam, referun-*
licitâ, c. 1. §. 6. 7. quisque naturâ sibi est proximus, charitate or- *tur & solvun-*
 dinatâ à se ipsâ incipiente, proximumque non magis, quàm se *tur; quorum*
 ipsos, diligere jubente. Quia autem proprius amor præstat ali- *primum à Phi-*
 eno, hinc pro *conservatione vitæ propriæ* proximum lædere, ex *lantia.*
 justò proprii amoris terminò, haut reputant illicitum. Conce-
 dimus, sui ipsius amorem esse maximum, & proximi vincere
 amorem, imò nulli, nisi solius DEI amori cedere, sed an inde
 firma duci possit sequela ad jus aliquod in innocentem, aut ejus
 vitam exercendum? dubitamus: amor nostri ipsius, si justus
 manere vult, regulas justitiæ transilire non debet.

§. IX.

§. IX.

(2.) *ab obligatione scipsum conservandi,*

Ex iustō sui ipsius amore oritur *obligatio se ipsum conservandi*: qualis enim esset amor noster, si non conservationem, sed interitum intenderet; si ergō conservationem sui omittere nefas est, inferunt (2.) adversarii, quī erit juri subiecta? vitæ conservandæ causā potius admittendum esse liberè omne medium, præceptō tantū nostrō, neminem læde, temerariam sine iustā causā factam læsionem, non verò eam, quæ fit propriæ conservationis ergō, vetante simul, aut excludente; propriam in omnibus actionibus primariò esse respiciendam salutem, propriumque bonum bono alterius fore præferendum. Verùm enim verò, salvā aliorum sententiā, auctoritate, & libertate regerimus, sui conservationem omninò quidem licitam non solū, sed etiam præceptam à Justitiæ regulis, illarumque observatione non eximi. Tantū abest, ut non hâc ratione furtis, latrocinii, pessimisque horrendis sceleribus sub prætextu propriæ conservationis aperirentur fenestræ. Nec necessitatis casus quam legibus justitiæ debemus, imminuit obedientiam, aut penitens tollit; non omnia in casu necessitatis, & in periculò propriæ vitæ sunt asserenda licita; quædam aded sunt prohibita, ut potius vitam amittere, quàm talia perpetrare præstet: quæ illa sunt, quæ & in necessitatis casu justitiæ regulis subiecta censentur, legerelicet apud Puffend. *de J. N. & G. L. §. c. 1. §. 6. & L. 1. c. 5. §. 9.* In conservatione ergo propriæ vitæ minime est prima, innocentis læsionem prohibens, susque deque habenda, aut releganda regula.

§. X.

§ (3.) *à regulâ, è duobus malis minimi permittente electi- onem, est peti- tum.* Progređiuntur adversarii (3.) & propugnant, è duobus malis esse eligendum minus; hic duo collidere mala, vitæ propriæ amissionem, & alterius internecionem; inter illa verò (respectu mei) minus esse alterius perniciem, quàm meam, siquidem propria salus alterius anteferenda saluti, potiusque proximi, quàm proprius sit admittendus interitus: Verùm nec hæc quod

quod debent, planè & plenè inferunt; tantùm colligere inde datur, si cum proximo in pari verfer periculo, meam me magis, quàm proximi posse curare conservationem; inde verò statim non fluit; etiam ad conservationem sui licere *innocentem occidere*; iustitiæ regula de *nemine ledendo*, est fortior & efficacior, quàm ut per illam, de unò & minimò ex duobus malis eligendo, regulam tollatur. Communis est doctrina & limitatio; è duobus malis physicis aut malis pœnæ, minus, ex malis verò duobus moralibus, seu culpæ, nullum esse eligendum.

CAPUT V.

Recenset casus, quibus innocens
non tam occiditur, quàm ex necessitate
non conservatur.

§. I.

Illud ergò, ut arbitramur, evictum est fati, non licere directè occidere innocentem; quòd verò in *casu necessitatis quibusdam necessitatis casibus innocentem non conservare, aut ejus interitum permittere, eundemque conservare licet.* largimur, nec errabimus, idem ex sui ipsius, & amoris proximi paritate deducturi. Becmannus in *Polir. Paral. c. 2. §. 12* istò ex argumentò non unas trahit conclusiones, quarum summa hùc redit (1.) ne amor nostri negligatur, (2.) ne amor nostri vel amori proximi, aut (3.) amor proximi prævaleat amori nostri. Istas ad thesin applicantes nostram concludimus, quòd (1.) ex jure æqualitatis amoris nostri & proximi teneamur proximum innocentem conservare & defendere, ad idem enim proprius nos obligat amor: Porrò (2.) si hujusmodi adsit necessitas, ut vel nobis pereundum sit, vel vita nostra per interitum proximi conservanda, quòd innocentem directè occidere non liceat; nam aliàs amor nostri prævaleret amori proximi. Verùm (3.) si conservatio proximi cum proprio periculò conjuncta sit, vel eveniat, ut proximus conservari nequeat, ipsi autem

autem vel soli vel mihi simul pereundum sit, quod quisque licite possit, deserere innocentem potius, quam pro ipso aut cum ipso simul perire; nemo enim in tantum alteri est obligatus, ut propriam salutem alterius conservanda causâ contemnere; & negligere debeat, præsertim, si ipse nec hõc modò conservare valeat alterum.

§. II.

*Civitas innocen-
tem postulatam
ab hoste desere-
re.*

Mentem, nostrasque conjecturas magis magisque, qui se-
quuntur, illustrabunt casus; Scilicet, queritur, ad *Civitas inno-*
centem ab hoste postulatam; quem juxta ante in cap. 3. §. 4. addu-
cta, neque occidere, neque ad occidendum tradere valet, *possit ta-*
men deserere? Ubi Respubl. innocentis conservationi maximè
incumbens in tale nunc incidit periculum, ut eum, nisi simul
cum ipso perire velit, conservare nequeat amplius, omniaque il-
la, quæ in salutem innocentis ullò possint vergere modò, sint
frustrâ penitus tentata, ne Respubl. ipsa propter unum innocen-
tem pereat, arbitramur, *licite eum deserere*, i. e. non impedire,
quò minùs ab hoste capiatur; non videtur Respubl. esse obligata,
ut propter unum innocentem civem, propriam vastationem, &
plurium innocentium patiatur cædem, præsertim, cum neque
hõc modò innocens salvari possit. Grotius de *J. B. & P. L. 2. c. 25.*
§. 3. Kulpif. & Vitriar. in *h. l. Puffend. de J. N. & G. L. 8. c. 3. §. 5.*
¶ *Uing in disp. ante alleg. de pena sine culpâ. §. 21. 22.* Sed, nec de-
lunt, qui putant etiam hanc solam civis innocentis desertionem
cum tacitâ istâ civium conventionem inter se, quâ ab initio, dum
coiret societas civilis, placuit, ut una sit salus omnium, unum &
commune periculum pugnare. conf. Vasq. *Contr. Illustr. c. 13. §. 13.*
Ziegler ad *Grot.* cui collectioni reponit Grotius *all. l. quò remit-*
timus.

§. III.

*Aut, ut sibi su-
gâ consulat. sva.
dere & cogere
potest.*

Miserò innocenti neci destinato loco supra allegatò consulit
Puffendorffius, ut, quantum potest, sibi ipsi quærat fugâ salu-
tatem, ausu quamvis periculoso, quò eò modò & sibi prospici-
at, neque civitatem in periculum suum implicet; Sed quid, si
fugere ipse decreverit? an iniquum, si civitas eum cogere intendat?
non

non putamus; quippe civitas eundem periculo vitæ non implicat, sed ejus querit conservationem; Imo talem desiderio civitatis non annuentem, quantum rerum status fert, innocentem plane, nisi nimia sub- sit pusillanimitas, laudare non possumus, utut enim vitæ conserva- tionis spem adhuc habeat, mavult tamen civitatem, reliquorum- que omnium salutem in presentissimum conjicere periculum. Spes ista quamvis nimium appareat incerta, non tota tamen perit & cessat, sed quamdiu anima viget, aut Spiritus, illa superest; insperatis sæpè magis, quàm quæ sperantur, contingentibus; Sunt plurima, piè de- ducente Wildvogelio in Disp. de DEO commissis, germ. Was Gott beschlohen wird! Jena A. 1712. habita, committenda Deo.

§. IV.

Porro in bello, quanquam innocentes occidi directè non debeant, sæpè tamen, ut iidem non conserventur, aut indirectè ledantur, con- ringit. Sic si navis, quæ piratis, aut domus, quæ latronibus plena, pe- tatur tormentis, eandemque intra navim, aut domum sint infantes, mulieres, aut alii innocentes, quibus inde creetur periculum; di- rectè non dicuntur illi occidi, sed tantum non conservari, cum nec sine ipsorum bellantium possint conservari interitu, vid. Grotius L. 3. c. 2. §. 4. Schar Schmidts Europäischer Staats- und Krieges- Saal ad annum 1656. cap. 155. Sic in obsidione licet civitates & fortalicia globulis ignitis infestentur, hisque sæpè unus vel alter innocens simul interficiatur, illad tamen, quia præter inten- tionem jaculantium fit, veniam habet & meretur. Viturius ad cit. Grot. loc.

§. V.

Tempore naufragii plures in scapham, quàm ipsa fert, non nun- quam insiliant, & ne interitam patiantur miserè omnes, necessitas ju- bet, & excusat, ut quidam, cum nec conservari omnes possint, non conserventur, sed ejiciantur, quibus non ejectis, nihilominus cum reliquis iis foret pereundum; Sed, quinam ex illis jactum pati de- beant? hæcenus interpretes haut conveniunt: nisi ad unum peculia- ri jure scapha fortè pertineat, sortem in eorum putant electione esse admovendam, & eorum aliquis si fortis detrectet judicium, eum, tan- quam qui omnium interitum quærat, extra sortem posse præcipitari;

F a

conf.

conf. Puffend. *de O. H. & C. L. 1. c. 5. §. 20.* dura nimis hæc nobis videtur assertio, ipse enim, qui sortem detrectat subire, non reliquorum omnium interitum, sed propriam tantum quærit salutem; non alios perdendi, sed seipsum eò certius conservandi causâ sorti se subtrahit; quapropter non tanquam nocens, sed innocens, se tamen nimis amans, est habendus; quin tamen ad sortem subeundam induci, & alii pro ipso, reliquis omnibus in sortem consentientibus sortiri possint, non dubitamus.

§. VI.

Duobus in vitæ periculum injectis, uni quid facere licet, ut ipse evadat, quamvis alteri, aliâ perituro, eò ipsò fata accelerentur.

A Puffend. *de J. N. & G. L. 2. c. 6. §. 4.* & *de O. H. & C. L. 1. c. 5. §. 21. seqq.* plures referuntur casus, quibus probare intendit, duobus in præsens periculum vitæ inj. Etis, in quò utrique est pereundum, licere uni tale quid facere, ut ipse evadat, quanquam alteri aliâ perituro eò ipsò fata accelerentur; sic in naufragiò licere uni alium à tabulâ apprehensâ dejicere & remove; item duobus in profundas incidentibus aquas, licere ei, qui natandi peritus est, alterum, qui eum circumplexus est, si simul secum aquis efferre eum non valeat, violenter remove, ne cum ipsò simul intereat. Quin tabulam prius apprehendenti liceat, alterum, qui ipsum in possessione turbare, vel etiam tabulam antè jam apprehensam eripere intendit, depellere, non est dubium; qui enim jure occupationis tabulam possidet, remque possessionis non injustè, si tabula utrosque ferendi non sit capax, se defendit. Est possidentis, ut in aliis quam plurimis causis, ita & hæc quoque melior conditio; modò utroque in casu, extremum certumque instet periculum, & utrumque evadere simul, aut servari posse, morali æstimatione videatur impossibile. In alterò casu, non occisio subest innocentis, sed ejus tantum omittitur conservatio. Pari modò permittunt, duobus in fugam coniectis, uni portam claudere, aut ponte dejicere in alterius perniciem, quod tamen simpliciter, dum summa necessitas semper adesse non videtur, haut concedimus.

EPI-

EPILOGVS.



¶ Ela nunc contrahimus, & ad finem properamus: Quicquid huc usque disseruimus, sine dubio satis abunde docet, *innocentem ledendum aut occidendum hanc esse*; Fluit inde, in causis & judiciis, maximè *Republicam* inter & *hominis sanguinem* pretiosissimum intercedentibus, cautissimè agendum, innocentisque damnationem omni averte-
ndam esse molimur. Deo quidem, ut circumfertur, non potest *gratior offerri victima*, quàm *homo facinorosus*, sed & in illius oculis nihil abominabilius, quàm sub recti specie *innocentis damnatio*. In primis summam circumspeditionem istam requirunt *crimina occulta*, & *falli transeuntis*: Trahimus huc moderni Potentissimi Prussorum Regis &c. &c. Domini nostri longè clementissimi, *Friderici Wilhelmi*, typis divulgatam Sanctionem sub dato Berolini *d. 13. Decembr. A. 1714.* ibi: *Weil Uns aber gleichfalls obliegt, dahin zu sehen, daß Niemand zur Ungebühr beschweret, und unschuldig Blut aus zeitigem Cyffer, und wegen übel geführten Process vergossen werde; So haben Wir entschlossen, den bisherigen Process in Heyrensachen genau untersuchen, und so viel möglich verbessern, und dergestalt einrichten zu lassen, daß dergleichen gefährliche Felgen hinfort künftig daraus nicht entstehen mögen.* &c. Nec possumus non improbare illa quondam pro *explorandis facinoribus* fallacissima adhibita, sed hodie, ne *innocentia periclitetur salus*, abolita media. Censum in hunc referimus *Cruentationem cadaveris*, das *Bluten eines entleibeten Körpers*, *probam per aquam frigidam sagarum*, *Wasser-Probe der Heyren*, *probam per ferrum candens*, heißen *Eisens Probe*. conf. LandM. *L. 6. tit. 1. 2. a. 2. §. 1. f. 857.* ib. Als welche Proben in diesem Herzogthum bey willführlicher Straffe ganz und gar verboten seynd, und nochmahls hiemit verboten werden. Huc etiam spectat in concursu plurium de crimine suspectorum *Sortitio*, aut sic dicta *Decumatio*; est fors cæca & temeraria rerum iudex, & *innocentissimos* quandoque damnat, hinc ad ejus arbitrium in foris humanis, ubi non *forti*, sed *hominibus* rei veritatis inquisitio & cognitio est commissa, non est recurrendum temerè. conf. Bruuem ad *L. 10 ff. de reb. dubiis*. Et parùm abest, quin in censum hic vocari possit *Tortura*; res est fragilis & periculosa, & quæ veritatem fallit. Etenim sunt ali-

*Ab iis mediis aut re-
mediis, quibus innocentis periclitatur factus, est in judiciis abstinentendum, aut cautè iis utendum.*

qui tantâ impatienciâ, ut quævis mentiri, quàm pati tormenta velint. *L. ff. §. 23. ff. de Questionib. Iustus Oldekop suis Criminal. Observat. practiciis Cic. XLII. appendicem subjecit, quibus testatum reddit, homines multos tortura vi falsa confessos, suppliciiisque affectos, postmodum autem innocentes esse repositos. Mittimus aliena; multorum adhuc patrum nostrorum memoria inhaerebit notabilis, qui in Prussia aliquot ante contigit annos, casus. Tori inde hodie multi sunt in proferibendâ Republ. Tortura. conf. Jac. Schalleri, Theol. Doct. Paradoxon de Torturâ in Christianâ Republicâ non exercendâ. A. 1658. Jene evulgatum, it. A. 1705. Hale habita Disp. Thomasi de Torturâ ex foris Christianorum proferibendâ. Sed tollatur abusus, & maneat usus. Bodin. in Disp. Hale a 1697. de Abusu & Usu Torturæ. Saepè & innocentia per torturam purgata, & obtenta; Willenberg. in Disp. Gedani a. 1701. De innocentia per torturam purgata. Quò major adhibetur torturæ gradus, eò minor potest confessioni per dolores extortæ haberi fides: Si in re ulla est cautè versandum, sanè non est hîc negligenda circumspèctio, ne innocentis periclitetur salus, & sanguis ad cælum clamans; ad convincendum probationes luce meridianâ adhibendæ clariores. *l. f. C. de prob.* Nemo est, qui non malit absolvere, quamvis nocentem, quàm damnare innocentem: ubi quis dubitat, id, in quò minus delinquitur, est eligendum. conf. *L. 5. ff. de pæn.* Grotius de *J. B. & P. L. 2. c. 23.* Quò sensu dicatur *soli licere medico impunè occidere*, discutiant alii. Dicitur videtur ferire medicastros, circumforaneos, impostores, medendi artem, quæ, si ulla, plures Sycophantas habet, haut edoctos, & si non manu, non gladiò, occidentes, mortis tamen causam nocivis & incompositè præparatis & mixtis medicamentis præbentes: quos humanæ fragilitatis prætextus, aut imperitia, quæ culpæ annumeratur, non excusat. *§. 7. f. ad L. Aquil. l. 132. ff. de Reg. Jur.* Stryck. in *Uss. tit. ad L. Aquil. §. 18.* Cui malo nuperrimè à S. R. Majestate Præfatiâ pariter sanctione justissimâ sub datò Berolini d. 9. Octobr. A. 1713. ib. Und viele zumahlen arme Leute durch die Unerfahrenheit derjenigens so sich des Curirens angemasset umb ihre Gesundtheit ja gar um Leib und Leben gebracht worden &c. est provisum. Quibus meditatio- nes nostras finimus, & Innocentissimo, Domino nostro Jesu Christo, nos & nostra pro suo beneplacitò dirigenda commendantes studia probenignissimo præstitò nunc quoque auxiliò & præsidio laudem & gloriam ad mundi usque canimus*

FINEM.


Königsberg, Diss., 1774/19

ULB Halle 3
001 856 294



St





B.I.G.

Farbkarte #13

JURIS NATURALIS DISPUTATIO;
DE

St. 11. num 20.

1716, 1

10

HOMINE INNO- CENTE NON OCCI- DENDO,

440

QUAM

DIVINA ADJUVANTE GRATIA

MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS CONSENSU

IN

ILLUSTRI REGIOMONTANA

REGIA UNIVERSITATE

PRÆSIDE

P. 440.
JOHANN. Amfels / U. J. D.

Publico Ordinar. Profess.

Disquisitioni eruditorum placide subjicit

IN AUDITORIO MAJORI

CHRISTIAN. Gottlieb Koenig

Regiomont. Pruss.

AUCTOR.

D. 16. Jul. A. MDCCXVI.

REGIOMONTI, Literis REUSNERIANIS.

KOENIG
UNIVERS.
ZYBALLE